



~~III~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-19.

SIGNAT. CLVCCXIII.

theol. Vol. 40

einzelne verzettelt 30/3. 1915.

I.
II.
III.
IV.
V.
VI.
VII.
VIII.
IX.
X.
XI.
XII.
XIII.
XIV.
XV.
XVI.
XVII.
XVIII.
XIX.
XX.
XXI.
XXII.
XXIII.
XXIV.
XXV.



DIVINO ADTRAVANTE L'AMINE

FLUMEN CR.

STALLINUM

RECTORIS MASTIC

DR. JOHANNIS MEISNER

Doctoris Theolog. & Phil. Publ. Cancellarii Facult.

in Academia Libera Universitate Lipsiensi

GOTTHOLD

GEDANO - PRUSSIA

in Typographia Christiani Christophori





A. & Ω.

Vod si exterior cœli facies ad sui contempla-
tionem Creatorisq; laudem invitet, quotquot cum
Anaxagorâ, insigni illo rerum naturalium scrutato-
re (α) se Solis Cœliq; videndi gratiâ natos fateri
non recusant; quidni etiam cœlestis ac inenarrabi-
lis Beatorum felicitas in sui admirationem raperet,
qui nitidissimis eandem à Spiritu S. depictam coloribus passim depra-
hendunt? Hanc, duce Scripturâ, pietate comite, animo versantes, non
possunt non eum divina jucunditatis persentiscere prægustum, ut qua-
si extra se constituti, spretis rebus mundanis omnibus, secundis, adver-
sis, illud Monica, matris B. Augustini pientissima (β), summâ vocis
contentione repetant: Evolemus hinc! Evolemus! Unde enim, quæse,
constantia illa martyrum in gravissimis exquisitissimisq; persecutioni-
bus? unde letitia eorum in durissimis cruciatibus, & tripudium in
ipsâ immanissimâ internecione, nisi ex spe aut potiùs sensu quopiam
suavisimæ voluptatis cœlicolùm? Suo id quisq; comprobabit calculo,
qui, ut alia sicco pede præteream ex Apocalypsi saltem cœlestem Hiero-
solymam intentis lustraverit oculis. Ponderet secum penitiùs vel unio-
cum illud Flumen, crysalli ad instar splendidum, interluendo civita-
tem supra modum latificans, & nî planè sit ἀνὰ δρυος, aut eam
Sadduceis (γ) vel Barbarâ, impudicâ Hermannii Comitissæ filia,
alterâ Sigismundi Imperatoris conjugè adulterâ (δ), Johanneq; XXIII.
Pontifice Romano (ε) aliisq; οὐκ ἐγνωσθέντες eternorum alterius vite
honorum irrisor, advertet facile, quàm effusò illud animum nunquam
non demulceat gaudiò. Ipsi periculum faciemus, Flumen hoc, ulterio-

A. 2
ori
α) vid. Diog. Laërtius l. 2. invitâ Anaxagoræ p. m. 95. β) cit. B. Luthero
Tom. VIII. Alienb. f. 522. b. γ) Matth. 22. δ) Johannes Cuspinianus
de Cesar. ac Imp. Rom. invitâ Sigismundi Ducis Lützelburgenfis, ac
Imper. Rom. sub finem f. 400. ε) in Concil. Constantiensi sess. XI.
Tom. 3. Part. II. Conciliorum Severini Bivii f. 1524. col. 2 Edit. de A.
1606.

eri consideratione dignissimum, propius contemplaturi, nisi hoc ipso
 kumeris quid imposuerimus, cui fortè non sint ferendo. Ardua e-
 nim res est, in hac rerum obscuritate de divinis futurisq;
 differere, quæ à Sensibus remotissima, & adhuc sub figuris Symbolisq;
 proposita, captum humanum infinitis superant parasangis. Hinc tan-
 to opere etiam divina Apocalypsis suos exercuit Interpretes, ut sæpius
 exercitatisimi quivis cum Dionysio Episcopo Alexandrino (ζ) se non
 illam intelligere, ingenuè confiteri necesse habuerint, in quâ, teste Hie-
 ronymo (η), quot verba, tot Sacramenta. Non tamen hæc ab institu-
 zō revocare nos potuerunt, divino Spiritus S. auxiliō confisos. Hinc
 in presentiarum ad Flumen ipsum, a Johanne Theologo Apoc. XXII.
 v. 1. descriptum, recta pergimus, sic pro tenuitate virium circa illud
 occupati futuri, ut, premisso Textu Originali cum Versione Latinâ
 & Germanicâ, totum laborem duabus expediamus Sectionibus, qua-
 rum altera erit Εξηγητική, συνειρητική scopumq; Textus cum Analyse
 Philologico-Theologicâ tradens, altera Πορισματική, Consectario-
 rum nonnullorum ex Textu elicitorum evolutionem sistens. Quibus
 absolutis portum videbimus. Nunc in altum proveci, vela damus,
 ductum afflatumq; Spiritus S. benigniorem supplices implorantes isto
 Hymni Ecclesiastici:

Electe, quod est rigidum,
 Fove, quod est frigidum,
 Rege, quod est devium!

Textus Originalis.

Καὶ ἔδειξέ μοι καθάρων ποταμὸν ὕδατος ζωῆς, λαμπρὸν ὡς
 κρύσταλλον, ἐκπορευόμενον ἐκ τῆς θρόνου τῆς θεῆς, καὶ τῆς ἀρνίου.

Versio Latina Vulgata & B. Schmidii:

Et ostendit mihi fluvium (purum), aquæ vivæ (vitæ), splendi-
 dum tanquam Crystallum, procedentem de sede (ex throno) DEI,
 & Agni.

Versio B. Lutheri.

Und er zeigt mir einen lautern Strom des lebendigen Wassers/
 klar wie ein Crystall/ der gieng von dem Stuel Gottes / und des
 Lambs.

SECTI.

¶ Eusebius lib. 7. Hist. Eccles. cap. 20. η) ad paulinum Epist. 103. cap. 7.



SECTIONIS I.

ARTICULUS I.

De

Συναφεία Scopoq; Textûs ac Partitione ejusdem.

§. I.

HAud malè locabit operam Oraculi cujusdam Sacri interpres si scopum Sensumq; ejus genuinum, sub verbis haud rarò delitescentem Tropici, collatione τῶν πρὸς γινόμενων καὶ ἐπινοούμενων paulò altius eruere allaboret. Quod & nos in praesentiarum, Flumen Apocalypico CrySTALLINUM lustraturi, praestare conabimur, moniti non modò à B. D. Glasfiò (α) B. D. Franzio (β) B. D. Danhawerò (γ) aliisq; Hermenevticæ S. Scriptoribus, sed & ab ipsò Spiritu Sanctò, hâc fini copulativum καὶ præmittente, eâq; ipsâ, ut cuiq; patet, contextûs Scrutinium imperante.

§. II. Egerat v. Apostolus superiùs fusissimè de variis maximeq; horrendis tribulationum persecutionumq; procellis, quas in Ecclesiam militantem furor hostilis, Satanæ, meretricis Magnæ, Gogi atq; Magogi, aliorumq; olim esset importaturus. Ne autem inde contristati nimium fideles animum penitus desponderent, eos non modò promissionibus, de liberatione, cum in hòc mundò, tum in extremò potissimùm judiciò futurâ, longè jucundissimis subinde erigit, sed & cum primis statum Ecclesiæ triumphantis gloriosissimum sub imagine primùm Cœli terræq; novæ, post Hierosolymæ sanctæ, de coelò descendente, duobus postremis Visionum Apocalypiticarum capp. speciosissimè depingit, ut hujus adeò splendidi domicilii, tanquam incolæ ac cives ejusdem aliquando futuri, memores, quicquid adversi accideret, animò exciperent eò fortiori, atq; tolerarent.

§. III. Sunt equidem, qui cum venerabili Bedâ (δ) & Primasio Episcopò Uticensi (ε), in hâc postremâ, & ceu vulgò numerant, A 3 septi-
α) in Philol. sacr. lib. 2. part. 2. sect. 2. p. 356. β) in Tract. de Interpr. Script. S. præcepto 2. pro intelligendis Bibliis p. 48. γ) in Idea Boni Interp. & malit. calumn. part. 1. sect. 3. Artic. 8. p. 172. & Art. 13. p. 212. seqq. δ) in Comm. super Apoc. in b. i. qui extat Tom. 2. Opp. ε) lib. 5. Comm. in Apoc. f. 192. seqq. Extat. Tom. 6. Biblioth. Patrum Edit. Celoz. A. 1618.

Septimâ Visione, quæ cap. XXI. usq; ad v. 5. cap. XXII. Apoc. enarra-
tur, beatissimam Coelitem conditionem exponi inficiantur, de terre-
nô potius Ecclesiæ statu B. Johanni sermonem adhuc esse contendentes.
Quos infrâ, ubi de Civitate, quam Fluvius noster profluendo
irrigat, uberius acturi, citatos confutabimus.

§. IV. Coeterùm humana obstupescit cogatio, quoties admi-
randam hanc Ecclesiæ triumphantis, sub imagine coelestis civitatis a-
dumbratæ, contemplatur magnificentiam, quâ augustius nihil, ni-
hilq; excellentius concipi unquam mente potest. Nam, postquam in
priori capitis XXI. parte à v. 1. usq; ad 9. generatim felicitatem Hie-
rosolymæ sanctæ peroraverat, eandem deinceps speciatim, non mo-
dò I. ab Amplitudine, frequentiam ac multitudinem, incolarum de-
signante, v. 16. ac II. Pulchritudine, relucente (1) ex luce & claritate,
quam eminens intuenti urbs de se sparsit fulgentissima v. 11. (2) ex ma-
teriaz pretiositate v. 18, 19, 20, 21. (3) ex partium *συμμεγέλα* seu concin-
nâ dispositione v. 11. seqq; sed & cum primis III. à Securitate & IV. o-
mnimodâ Sufficientiâ prolixiori oratione commendat. Cum enim
duo posteriora plerumq; civitatis congregandæ urbisq; inde consti-
tuendæ incitamenta esse soleant, sic eò eadem pede præterire non li-
cuit Apostolo, hâc descriptione, ut constitit, fideles persecutione af-
flictioneq; pressos & solari & ad beatissimam coelitem felicitatem al-
licere summò studiò allaboranti. Et quidem Securitatem, fu-
sius descripta Hierosolymæ sanctæ munitio symbolicè arguit. Nam
civitas (1) in quadrò est posita v. 16. Urbes autem *πυργαῖοι* ut sunt
fortissimæ (2), sic securitati civium maximè accommodatæ. (2) con-
stat murò, necessariò aliàs ad commodè tutoq; in civitate vivendum
præsidiò (3) v. 12. cujus firmitatem colligas ex ejus (4) substantiâ, quæ
lapidea, ex jaspide enim structura muri erat v. 18. (5) magnitudine &
sublimitate v. 12. quæ erat 144. cubitorum v. 17. (6) fundamentis duo-
decim v. 14. iisq; (7) lapideis v. 19. seqq. (3) habet excubitores, vigi-
lantissimos pariter ac fortissimos, Angelos np. portis insidentes v. 12.

§. V. Denique coelestem omnium rerum sufficientiam à v. 22.
cap. XXI usq; ad v. 5. cap. XXII. mirum in modum deprædicat, quam
servis Dei v. 3. cap. XXII., gentibus servatis, iisq; regibus v. 24, 26.

cap.
(2) vid. Cornel. à Lap. Comment. in Apoc. f. 318, 1. A. n) Cellarius in
Politica lib. 1. c. 7. p. 83. Bodinus de Republ. lib. 5. p. 876 seqq.

cap. XXI. ac libro vitæ inſcriptis, non verò inquinatis &c. v. 27. deſtinatam à DEO Trinunò eòq; ſolò expectandam eſſe docet. Hic enim ſolus Triumphantibus erit omnia in omnibus. I. Cor. XV. 28. ipſa omnium ſufficientia, ipſum Summum Bonum, cujus fruitione adeò plènè ſatiabitur & acquieſcet appetitus Beatorum, ut extra illud nil quicquam amplius deſiderare poſſit. Nam, ſatente Gregorio Nyſſenò (θ) *Qui Deum vidit, quicquid in bonis numeratur, perſeque, quod videt, adeptus eſt.* Hinc quibus humana aliàs in hâc fragilitate indiguit ſocietas, templò ſcilicet, Solè, Lunâ, Potu, cibo &c. cum in alterâ vitâ, ubi ſumma regnabit & abſolutiſſima perfectio, non futura ſint c. XXI. 23. c. XXII. 5. eorum omnium vices ſufficientiſſimè à DEO unò ſuppletum iri affirmat Apoſtolus. Templum enim Deus ipſe erit Omnipotens & Agnus cap. XXI. v. 22. Claritas DEI ac lucerna Agni Solis inſtar ac Lunæ illuminabit beatos XXI. v. 23. c. XXII. v. 5. Sic prærer Cibum myſticum, quem Lignum vitæ, Chriſtus, ſuppeditabit cap. XXII. v. 2. etiam potum à Fluvio, qui c. XXII. v. 1. introducitur, expectabunt purò, ipſò nempe Spiritu Sanctò. Nam quoniam ſuperius DEI omnipotentis ſ. Patris, & Agni ſ. Filii v. 22. c. XXI. nunquam verò Spiritus Sancti peculiariter meminerat, explicitam ejusdem intermittere mentionem nò conveniebat. Et cum amœniſſimæ Civitates ſint, quæ fluvios habent interfluos, unde mundities, refrigerium, variaq; Civitati conciliatur utilitas; hinc ſub Fluvii ſymbolò (ut alibi quoq; factum) Spiritum S., indicatâ ſimul ejusdem proceſſione à Patre & Filio, atq; ſic uno intuitu totum Trinitatis in unò Thronò ſedentis myſterium (cujus repræſentatio vel maximè ad perfectam cœleſtis Jeruſolymæ pertinebat gloriam), tanquam unicum omnis ſufficientiæ & beatitudinis cœleſtis Objectum v. 1. c. XXII. ſiſtere, conſilium fuit Theologi. Nam quemadmodum, quicquid ad ſufficientiam hanc, quâ Cœlites fruuntur, ſpectat, non niſi ipſe DEUS eſt, ut jam modò confirmatum dedimus; ſic & Fluvius hic purus, ſummum illud Beatorum in futurâ Hieruſolymâ gaudium atq; amœnitas ipſe DEUS erit; cum verò nec Pater fit, nec Filius, quippe à quibus diſtinguitur, Spiritum S. eò ipſò ſignificari, nemini non colligere facile erit. Quò de tamen plura in *αἰναλόσφ* mox ſubſecutura.

θ) Serm. VI. de beatitud.

§. VI. Ec.

§. VI. Et hæc de συναφεία Textus, cujus paulò prolixior enarratio ideò præmittenda fuit, ut difficultatibus, quas adversariorum quorundam falsa ac neglecta planè scopi Johannei gignit interpretatio, eò faciliori occurratur negotiò. Nos verò ad Fluminis Chrystallini evolutionem accingamur necesse est, Tribus, secundum ductum Oraculi nostri, totam Tractationem includentes Capitibus, quorum I. quasi præliminare expendet Fluminis manifestationem. II. Ejusdem Descriptionem, cum Nominalem, tum Realem, ubi, præter Fluminis Appellationem, Ejusdem fontem, processum ac viam indagabimus. III. Triplicem Fluvii affectionem, unde purus, vivus ac splendidus salutatur. Sit itaq;

ARTICULUS II.

continens

Ἀνάλυσιν Philologico - Theologicam.

CAPUT I.

De

Fluminis Manifestatione.

§. I. Connectit Johannes Theologus, quæ de Flumine dicturus est, cum superius propositis particulâ καὶ, cujus pariter atq; Hebræorum ἡ significaciones varias adducere longum foret, vid. de his Flacius (i), Glassius (κ), & cum primis B. Gerhardus (λ), Erasmi Schmidius (μ), nec non Alstedius (ν), quorum ille 10. iste 14., hic ex Brunneri Grammaticâ 37. hujus voculæ acceptiones, recenset. Id solum notes, quod nonnulli hanc Copulativam pro transitivâ ab Apostolò fuisse adhibitam adfirmaverint, uti Piscator (ξ), Beza (ο), & quos sequuntur alii plurimi. Hinc iidem reddiderunt per DEINDE. Verumenimverò utut vocula καὶ nonnunquam vim transiendi induat, ut Luc. I. v. 56. (π), aliis tamen à nativâ ac famosiore hujus significatu h. l. recedere minimè placuit. Hinc non modò ex Nostratibus B. Lutherus & Erasmi Schmidius &c. sed & ex Pontificiis

i) in Clav. Script. S. part. I. p. 276. κ) Philol. sacr. L. 4. Tr. 2. obs. 7. p. 586. seqq. & L. 3. Tr. 7. can. 3. p. 589. seq. λ) Indice alterò Vocab. Hebr. Comm. in Genesin. μ) in Notis ad N. T. ad v. 19. c. 5. Matthæi f. 89, 90. ν) præcogn. Theol. L. II. f. 155. ξ) in Observ. ad N. T. ad h. l. Schol. 1. ο) in Versione Lat. ad b. l. π) conf. Schmid, Comm. in N. T. ad b. l.

tificiis D. Joh. Dietenbergerus (e) Erasmus Roterodamus &c. ex Calvinianis ipsis, ut Autores Versionis Belgicæ, quæ post Synodum Dor-
dracenam prodiit, aliiq; copulativè hanc particulam h.l. verterunt.
Interea quicquid hujus rei sit, in hisce minutiis non erimus operosi-
ores; sive n. transeundi sive copulandi h.l. exerceat virtutem præsens
vocula, semper tamen continuationem & connexionem capitis XXII
cum cap. XXI. indicat, id quod nobis sufficit.

§. II. Quæ verò hic de flumine enarrantur, ostensa dicuntur
ab Angelo Apoc. XXI. 9. unò scil: ex septem Φιλοχύταις, quorum
jam superius c. XV. & XVI. meminerat. Nam quemadmodum su-
prà cap. 7. v. 1. Angelus meretricem s. Babylonem magnam ejusque
damnationem; sic nunc quoq; idem ille (ut probabiliter, præeunte
inter alios B. Dn. Cluvero (σ), nec non Excell. Dn. D. Joh. Andr. Lucio
(τ) Superintendente jam Dresdensi famigeratissimò, colligimus)
Sponsam Agnis. Hierosolymam sanctam ejusq; ineffabilem gloriam
ostendere debuit. Quotus vero in ordine hic fuerit, Primus, ut cum
Ludovico ab Alcasar (υ) vult Tirinus, an Sextus, quod Grotius de-
fendit (Φ) aut Septimus ac ultimus, uti præter Johannem Napierum,
Nobilem ac Theologum Scotum (χ), etiam Pareo placet (ψ), certò
definire, tacente Scripturâ, nec libet, nec licet. Interea bonum, non
malum fuisse Angelum, ex eò, quòd hic loci totum SS. Trinitatis my-
sterium, & quæ inde in beatos redundant beneficia revelaverit, con-
cludere haud difficile est. Ridemus autem ιδιογνωμοσύνην Lyre
& Ludovici ab Alcasar, quorum ille (ω) per hunc Angelum Aposto-
lum Jacobum, qui B. Johannem præcesserit in gloriâ, atq; eapropter
ex Dei voluntate eidem revelare potuerit secreta cœlestia; hic (α) S.
Paulum, qui quasi fundator Romanæ Ecclesiæ, hujus ceu Sponsæ
Christi nuptias ejusq; admirabilem majestatem & amplitudinem in
cœlo Johanni ostenderit, falsò intelligit. Nam, si vel maximè (ι)

B

pona-

e) in Versione Germ. de A. 1534. σ) in Diluculo Apocalyptico f. 360.
τ) in Concionibus super Apoc. f. 1151. a. υ) in Vestigatione arcani sen-
sûs in Apoc. adv. 9. c. XXI. Φ) vid. Clariss. Polum Synopsi Criticorum
aliorumq; Commentat. in Apoc. XXI. v. 9. f. 2005. part 2. Voluminis IV.
χ) in Explicat Apocal. citatum à D. Lucio Comment. in Apoc. XXI. 9.
f. 1151. ψ) Comment. in Apoc. p. 1166. ω) in Comm. in c. XXI. Apoc.
v. 9. α) Comm. in Apoc. f. 865.

ponamus, quin & cum nonnullis Nostratum, utpote D. Winckelmanno (β), D. Osiandro (γ), D. Jeremiâ Victore (δ), D. Hoë (ε), Gravio (ζ), aliisq; concedamus, per Angelos 7. cum phialis 7., quorum unus hîc loci Johanni fluvium ostenderit, Doctores atq; præcones Ecclesiæ divinos indigitari, nefas tamen esset, quæ de unô alterove horum Angelorum vagè ac indefinitè à Spiritu S. memorantur, temerariô quôdam ausu certo alicui individuo applicare velle. Statuimus tamen (2) per hunc δεικτικὴν cœterosq; ; Φιλοσόφους, quorum cap. XV. i. mentio fit, non pastores Ecclesiæ, sed spiritus illos cœlestes, creatos, immateriales atq; potentes, quos propriissimè Scriptura Sacra Angelos appellat, denotari; assentientibus inter alios B. Cluverô (η), & D. Lucio (θ), & Magnificè Summè Reverendo Dn. D. Caloviô (ι), Domino Patrono ac Præceptore aternô observantiæ cultu devenerando, aliisque. Alcasarem verò, pro Paulo pugnantem, prolixè refutatum vide apud B. D. Hoë (κ).

§. III. De cœtero verbum δεικνύειν, quod Angelo huic tribuitur, à Chaldæorum ܦܘܪ descendere eruditi observant (λ), cujus Infinitivus ܦܘܪܐ significat accuratè attendere, summâ cum curâ aliquid perspicere, considerare, atq; minutim excutere. (μ). Vi ergò etymi talem hoc verbum ostensionem dicit, quæ fit accuratô studio & quâ omnes, etiam minutissimas, partes. Variare autem τὸ δεικνύειν significatum in S. literis potissimùm trifariam, ex Concordantiis, ut vulgò vocant, liquet. Nam usurpatur aliquando 1. pro indicare, docere &c. ut Matth. XVI. 21. Apoc. IV. 1. Act. X. 28. II. Cor. XII. 31. mox 2. pro reapse aliquid præstare, efficere, exhibere &c, ut Joh. II, 18 ubi signum ostendere, est signum vel miraculum edere. it. cap. X. 32. tandem 3. pro rem quamcunq; s. jam ante s. nunquam adhuc visam oculis conspiciendam probeq; contemplandam objicere, ut Matth. c. IV. 8. c. VIII. 4. Joh. XX, 20. Hebr. VIII, 5. Atq; inter

β) in Apoc. p. 357. γ) in Apoc. XV. v. 1. δ) in Explic. Apocal. p. 446. ε) L. 5. Comm. in Apoc. f. 23. & L. 8. p. 343. Edit. noviss. ζ) in der Kürzen Auflegung Apocal. in c. XV. v. 1. η) in c. XV. Apoc. T. 3. Diluculi p. 182. θ) in Comm. f. 909. ι) in c. XVI. Apoc. T. 2. in N. T. f. 1873. κ) l. c. f. 343. seqq. conf. ipsum Cornel. à Lap. in Apoc. f. 314. λ) Pasor in Lexico p. m. 168. μ) vid. Buxtorf. in Lexico Chaldaico-Thalmudico-Rabbinicô sub hac voce p. 516. seqq.

inter has ultima demùm acceptio etiam hîc loci obtinet, ubi B. Johanni Apostolo, adhuc in insulâ Pathmô, in quam ob verbum Domini à Domitiano Imperatore relegatus erat, commoranti (hic n. pro-Nomine demonstrativô μοι, pro ἐμοι per aphæresin, subindicatur) inter alias coelestium Hierosôlymorum felicitates Flumen quoque Crystillinum ab Angelo ostenditur, ut illud intueri accuratiùs, hujusq; visionis jucundâ enarratione suos συγκοινωνεὶς ἐν τῇ θλίψει postea erigere eò commodiùs posset.

§. IV. Ast dicas: quâ ratione Angelus fluvium illum, sive, qui sub hóc denotatur, Spiritum S., ut ex post dicendis patebit, procedentem à throno DEi cœteraq; cœlestia ac incompræhensibilia dona oculis Johanneis nondum glorificatis sistere potuit, cùm tamen, asserente Paulô, oculus haud unquam viderit, nec in cor hominis adscenderit, quæ præparata sint diligentibus DEum I. Cor. II, 9? Ad quod paucis hæc habe: Uti in aliis visionibus sapiùs non res ipsæ, sed imago tantùm rerum & quidem eâ, quâ Deo libuit, formâ repræsentatur & videtur, sic idem quoq; hîc loci factum. Ostendit Angelus imaginem rerum incompræhensibilium, quam capere etiam atq; videre Johannes, licet res ipsæ captum ejus, omnesq; longè superarent sensus, per specialem DEi οἰκονομίαν potuit, non quidem oculis corporeis aut externô quôdam corporali modô, sed in Spiritu, quô se, ut alibi (conf. Apoc. I. 10. c. XVII. 3.), sic & nunc sublatum esse in excessum montem ipse testatur Apoc. XXI. 10, ad cœlestia conspicienda, uti S. Paulus ad ῥήματα ἄρρητα audienda in tertium cœlum raptus legitur II. Cor. XII, 4. Et hoc de Ostensione Fluminis ex primis Oraculi nostri verbis ὡς ἐν παρθένῳ prælibasse libuit. Nunc ad Flumen ipsum progressi, ponimus

CAP. II.

De

Fluminis Descriptione tum Nominali, tum Reali.

§. I. Summum illud Beatorum refrigerium ποταμός appellatur. Dicitur a. ποταμός quasi πόσιμῳ potui aptus (v) à πίνω vel antiquô πῶ, quòd fluvius præbeat aquâ potabilem vel minimum potuî inde coquendo aptam. Sicuti & eandē ob causam Latinorum Puteus, ἀπὸ τῆς ποτῆς, quod itidem à πίνω, originem traxisse nonnullis creditur,

B 2

v) vid. Pafor in Lex. Græco-Lat. sub hac voc.

ditur (v). Syro dicitur **ܢܗܪ** quod ab Hebræorum **נהר** plerumque fluvium magnum, y. g. Euphratem, Tigrim &c. ut ex seq. §. erit liquidum; denotat. Non ergo palus aut cisterna tantum quædam, nec fons solum aut puteus, stagnumve, sed integer fluvius coelestem rigabit patriam. Hinc etiam commodè Megalander noster, Lutherus, reddidit: einen Strom.

§. II. Propriè verò **ὁ ποταμός** & flumen & fluvium significat, quæ voces vulgò quidem apud Latinos aquam è certò terræ locò versùs alium intra alveum oblongâ viâ uberrimè decurrentem denotant (ξ); à nonnullis tamen adhuc ab invicem differre advertuntur. Iidorus enim (ο); docente Excellentissimò Mich. Waltherò, Mathem. Super. Prof. Publ. in hac ad Albim famigeratissimo, Domino ac Præceptore nostro ætatem suspiciendo (π), distinguit ita, ut flumen sit aqua ipsa, fluvius verò aquæ istius decursus. Quò pacto flumen rectè dixeris prius fluvio, sicuti aquam priorem decursu. Alii discrimen non modo in fluxu, sed & duratione ponunt, ita, ut fluvius (ρ) rapidiori lapsu deferatur flumine, cum tamen hoc (σ) semper fluat maneatq; idem; illè verò temporibus exsiccet. Non tñ; hanc differentiam ubiq; observari; ex innumeris probatissimorum Autorum locis liquet. Impropius a. hujus vocis significatus in sacrarum literarum monumentis variat quàm maximè (τ). Taceo I. Synecdochicas acceptiones, quando Flumen vel pro aquis in genere Ps. XXIV. 2. vel etiam, licet aliàs generale fluvioisq; omnibus commune nomen sit, pro certo aliquo ac celebri fluvio **נהר ארנונוμασία** ponitur; quâ ratione Euphrates absolute **נהר** Flumen audit. Gen. c. XXXI. 21. Num. XXII. 5. ut & Nilus Es. XIX. 5. itemq; Tigris Gen. c. XXXVI. 37. &c. Transeat quoq; II. Metonymicus sensus, quò flumina, quæ Deus in desertum h. e. in steriles campos redigere dicitur Psal.

v) Christian. Beckmannus de Orig. Lat. Lingua p. 859. ξ) vid. D. Bernh. Varenium Geograph. General. L. 1. c. 16. p. 219. Franc. Piccolomineus de definitionibus rerum p. 208. ο) 13. Orig. c. 21. π) in parte Generali Geogr. sect. unicâ cap. 3. præc. 3. §. 4. Colleg. MSS. ρ) vid. Lex. Basiliæ Fabri sub hac voce. σ) Cornel. Frontonem libellò. de differentiis vocum, qui annectitur libris Ausonii Popmæ de eodè argumento. τ) vid. præter alios Petr. Ravanello in Biblioth. sacr. Part. I. f. 629 seqq. Flacii in Clav. Script. S. part. I. f. 342. Clariss. Schindli in Lexico Pentagl. sub voce **נהר**.

Ps. CVII. 33. (v) pro agris irriguis atq; fertilibus ponuntur, vel quod hii flumina contineant, vel quod flumina agros cultos reddant atq; fecundos. Omnium v. frequentissima III. sunt Metaphoræ, à flumine in S. Oraculis deductæ, præsertim cum vis atq; potentia, quin & abundantia rei cuiusdã depingenda est. Atq; hinc vox Fluminis sumitur (a) in malam partem (1) pro tyrannis ac Regibus potentissimis eorumq; exercitu numeroso nimis ac forti, qui hostili impetu vel Ecclesiam Ps. XCIII. 3. vel Republicas incurstant, easdem funditus devastaturi Es. XLIX. 2. (Φ) c. VIII. 7. (2) pro quibusvis ærumnis ac calamitatibus, plenis quasi cataractis irruentibus Es. XLIII. 2. At v. (b) in bono significato copiam beneficiorum divinorum significat, eorumq; non modo corporalium, quomodo per flumina butyri Job. XX. 17. item per rã affluere lacte & melle, (quo nomine terra Cananæa sæpissimè commendatur Levit. XX. 24. & alibi) summa lactis & mellis, seu (quæ his sub speciebus per synecdochen indicantur) rerum omnium ubertas intelligitur; sed & spiritualium: quomodo Es. XLI. 18. largissima Evangelii prædicatio, & Joh. VII. 38. copiosa Spiritus S. dona & operationes, seu, ipse Spiritus S. in & per Apostolos efficaciter operaturus, ac fideles viva quasi consolatione perfusus, per flumina designantur.

S. III. Nec immeritò Spiritus S. unã cum donis ab eò nunquam (χ) separandis flumini confertur. Nam I. sicuti flumen ortum non à seipso, sed ex fontibus seu rivis iisq; pluribus (ψ) trahit, indeq; procedit: Sic & Spiritus S., utut sit *ἀπὸ τοῦ Θεοῦ*, non tamen principium ac fons S. Trinitatis est, sed à Patre, eoq; non solò, sed etiam, quem ab æternò genuit, Filiò, duabus distinctis, unã tamen eademq; essentiã divinã gaudentibus personis, imperscrutabiliter effluit atq; emittitur, sic, ut cum B. Danhæwerò (ω) Patrem scaturiginem, Filium fontem ac os scaturiginis, Spiritum S. verò ipsum Flumen inde promanans rectè appellaveris. II. Fluvius devehit aquam, quæ sordes abluit, sitientes potat, terramq; fecundat; Aqua vitæ

B 3

Spiri-

v) vid. Note Junii & Tremellii. Φ) conf. ad h. l. Salom. Glasius Rector. S. Tract. I. cap. X. p. 258. χ) vid. Summè Reverendus ac Magnificus Dn. D. Præses, Præceptor, Patronus atq; Hospes æternum mihi de venerandus Exam. Catech. Palat. part. I. Diss. 37. p. 81. & seqq. ψ) Varenius Geogr. Part. General. l. I. c. 16. Propos. 3. ω) in Stilo Vindice contra Borthenium vel Reinbothum p. 104.

Spiritus S. quicquid inquinamenti atq; adeò condemnationis in nobis est, aufert, sitim spirituales extingvit, & quos aridae instar terrae depræhendit, humectat mirificè fructiferosq; reddit. Flumen aquas præbet III. non modò copiosas, sed & IV. nunquam deficientes; Sic & Spiritus S. dona sua largitur uberrimè, ut iisdem quasi inebrientur fideles, neq; tñ. hæc desinunt in vel cum hõc seculò, verum in beatissimâ quoq; æternitate Spiritus S. irrigabit cœlites, eosdem Sapientiâ, Scientiâ ac gaudiò ineffabili sine termino completurus &c. (α).

§. IV. Atq; hæc inter acceptiones omnium ultima demum huius loci est, per flumen, quò de in præsentia, Crystallinum nil aliud quàm Spiritum S. cum donis copiosissimis denotans. Verum enim verò huic interpretationi qui subscribere recusant, sunt quamplurimi, quorum sententias vel rectius *ψευδευνησίας* ante, quàm confirmationem asserto nostro subijciamus, notasse haud abs re erit, ut, hisce penitus profligatis, opposita magis elucescat veritas.

§. V. Somniat sanè I. Richardus à S. Laurentio, pœnitentiarius Rothomagensis, qui adhuc titubans per Flumen modò Angelos Sanctos (β), quod ipsi primi sint, ut loquitur, qui de fonte divinæ veritatis procedant; modò B. Virginem Mariam (γ) quæ fluvii instar singulas generationes rigando post unam in aliam fluat, animasq; quas sanctas non invenit, sanctas faciat &c. (δ) intelligit. Sed vana hæc ac superstitiosi nimis cerebelli figmenta. Angeli enim expressè v. 3. *αὐτοὶ δὲ ἄγγελοι λατρεύοντες* à Fluvio discernuntur. Idem etiam videbis in loco parallelo Dan. VII. 10. Frustra quoq; Mariæ Virgini affingitur animarum in his terris rigatio atq; sanctificatio. Nam (1) Abraham nescit nos & Israel ignorat nos Es. LXIV. 15. Hinc (2) ut ut B. Virginem Deiparam summis veneremur laudibus, absit tamen, ut opus sanctificationis, cujus causam efficientem SS. Trinitatem, terminativè verò Spiritum S., Scripturâ S. lampada præferente, agnoscamus, eidem adscribamus. Accedit (3) quod non de Ecclesiâ militante ut jam suprâ Articulò priori, & mox pluribus demonstrabimus, sed unicè in cœlis triumphante, in totâ hæc Prophetiâ sermo sit, in quâ (4) quicquid voluptatis erit, à solò DEÒ (ε) in Beatos redunda-

α) vid. Danbauer. l. c. β) lib. 4. de laude S. Mariæ p. 222. γ) lib. 9. p. 523. δ) vid. citata ap. D. Dorscheum in Theol. Zach. part. II. Diss. V. Loco II. §. 61. p. 222. ε) vid. Artic. præcedenti §. penult.

fundabit. II. Haymo, Episcopus Halberstadenſis & Anſbertus, teſte
 Viegâ (ζ) & Corneliô à Lap. (η) aliisq; prædicationem Evangelii in-
 ter omnes gentes hōc fluviô designari autumant. Sic quoq; Auguſti-
 nus Marloratus (θ) hunc Fluvium, ut ut ex Seb. Meyero eundem
 commodè etiam ad uberrimam illam conſolationum DEi in cœlis
 affluentiam referri poſſe concedat, tamen propriè verbum DEi, ve-
 ram ac ſalutarem animæ medicinam, eſſe dicit. Nam verbi DEi flu-
 viô, ait cūm Pignetô, irrigantur piorum omnium corda &c. His
 annuero Thomam Brigtmannum, Anglum (ι) Fluvium noſtrum,
 de uberrimâ doctrinæ Chriſti promanatione in Orientem, cujus hu-
 more omnis vegetabitur populus, & Johannem Lightfoot (κ) de do-
 ctrinâ limpida de Chriſtô vitâq; per eum obtinendâ interpretantes.
 At verô hæc omnia ad Eccleſiam militantem, cujus tamen
 conſideratio, ut ex ſuperiùs dictis & infra fuſius deducendis palàm
 erit, hīc loci non attenditur. Nec eſt, quôd obſciant (λ) Evangeli-
 um alibi quoq; in Scripturis flumini comparari. Quis enim inde
 concluderet: Ergo etiam hīc? (μ) alludi vel ad aquam Ezech. XXXVI.
 25. (λ) vel ad flumen Ezech. XLVII. 12. Propheticum (μ). Quibus
 locis Evangelii miniſterium inſinuari perſpicuum ſit. Sed Reſpon-
 demus I. Sit ita! Nonne autem Spiritus S. eadem verba, quibus olim
 felicitatem Eccleſiæ in his terris prædixit, ad deſcriptionem regnī
 gloriæ accommodare poterit? Quô de mox plura. II. Interim non-
 dum hæcenus evictum, ad citata loca à Spiritu S. digitum in noſtrō
 vaticiniô intendi. In priori locô contrarium ipſa Textus docere-
 volutio. Nihil ibi de flumine, nihil de egreſſu ejus &c. Quod
 verô poſteribrem locum, qui maximam probabilitatis præ ſe fert
 ſpeciem, attinet, ipſe David Pareus & Ludovicus ab Alcaſar, licet
 alluſionem quandam hīc loci ad flumen Ezechielis largiantur, ta-
 men inter hoc & noſtrum Apocalyticum ille (ν) differentias duas,
 hic

ζ) *Comm. in Apoc. in c. XXII. 1.* η) *in Apocal. c. XXII, 1. f. 342. col. 1.*
 θ) *in Expoſitione Eccleſiaſtica in N. T. ſuper b. l. f. 1191.* ι) *in Apocaly-
 pſi Apocalypſeos in b. l. p. 410 col. 1.* κ) *Chron. 172. citatum à Matt.
 Polo in Synopſi Criticorum in v. 1. cap. XXII. f. 2014. part. 2. Vol. IV.*
 λ) *Auguſt. Marloratus l. c.* μ) *Thomas Brigtmannus in Apoc. in b. l.
 p. 410 col. 1. conſule quæ habet D. Hoë in Apoc. XXII. ſcrupulô l. p. 379.
 Edit. nov. in fol.* ν) *Pareus in Comm. ad Apoc. p. 1191.*

hic (ξ) quatuor, alii (ο) additis adhuc duabus sex annotarunt, quas huc transcribere prolixum foret. Pari facilitate etiam III. Hugonem Grotium, variæ vel rectius nullius religionis hominem confutamus, Hoc flumen de Baptisteriô, quod iis temporibus, quæ huc designantur (scilicet à Constantinô usq; ad Justinianum), esse solebat in areâ ante basilicas, explicantem (π). Et quamvis rationem, cur Baptisterium illud ποταμός appelletur, addat, scilicet, quod fons perennis in illud influxerit, omnis autem aqua profluens Hebræis græcè loquentibus ποταμός dicatur; nihil tamen hæc ad rhombum. Probatum tantum, Baptisterium ejusmodi aliquô modô flumen dici posse, id quod ambabus largimur manibus, quemadmodum & olim Græci Baptisteria κολυβήθρα h. e. piscinas appellasse memorantur (ρ); minimè verò illud per τὸν ποταμὸν λαμπρὸν ὡς κρύσταλλον hic loci indigitari, quem non hujus, sed illius esse seculi, plus vice simplici monuimus. Neq; huic sententiæ patrocinatur autoritas B. Joh. Gefhardi, quod (σ) inter typos Baptismi in N. T. etiam hunc fluvium referat, eôq; ipsô fluvium Baptismi significare conjecturet. Theologus enim hic summus, & de Ecclesiâ Christi universâ præclarissimè meritis hæc tantum ad Baptismum per similitudinem & accommodationem quandam trahere voluit, quod tamen is nequam acriter propugnare ausus fuit, mox dilucidis verbis falsus, *se non improbare, si quis per hunc fluvium accipiat Spiritum S. qui donis suis largissimis irrigat & militantem & triumphantem Ecclesiam.* Hinc & non modò, ubi processionem tertiæ personæ à Patre & Filiô κτὶ τὸ ἐν τὸν in Scripturis revelatam esse, adstruere studuit (τ), sed & in Annotationibus super Apoc. (υ) hunc fluvium de Spiritu S. disertè exponit. Idem quoq; de Andrea Cæsariensi, itidem primum Baptismum, postea verò rectius ipsum Spiritum S. cum donis h. l. intelligente (φ), habendum est.

§. VI. Fe-

ξ) *Alcasar in vestigatione sensûs arcani Apoc. c. XXII. 1. f. 949. seqq.* ο) *D. Match. Hoë l. c. f. 380.* π) *in Annot. Bibl. ad h. l.* ρ) *vid. Sheringham ad Joma p. 49. ubi ex Nicephoro patriarchâ, & Spicerius sacr. observ. libr. singul. cap. 3. p. 84., qui ex Chrysoft. Homil. 110. T. V. f. 714. confirmat.* σ) *LL. Theol. Tom. IV. L. de Baptismo §. 13. f. 427. Edit. Genev.* τ) *Locô de Spiritu S. cap. IV. §. 59. f. 291. Tom. I.* υ) *in h. l. c. XXII. 1.* φ) *quem citatum vide §. 8.*

§. VI. Feliciori rem aggreuntur tentamine, qui hunc Fluvium ad triumphantem. referunt Ecclesiam, quos tamen adhuc indifferenter abire, Lector, advertes. Nonnullis enim IV. hoc Flumine visio DEI denotatur beatifica, vel potius uberrima illa nullisq; seculis terminanda donorum voluptatumq; coelestium affluentia, qua visio Dei & Agni olim perfundet coelites. Hanc propugnant sententiam plurimi, non modo ex Pontificiis, utpote praeter alios Franciscus Ribera (χ), Ludovicus ab Alcazar (ψ) (de quo tamen obiter notes, quod licet hoc voluptatis ac sapientiae, ut interpretatur, Flumen Sanctis omnibus promittere videatur in singularem eius fruitionem, vi hypotheseos infra §. XXIV. examinanda, Romanae Ecclesiae male affingat) Corn. à Lap. (ω), Rob. Bellarminus (α), Joh. Maldonatus (*) Blasius Viegas (β), Nic. Gorranus (γ) &c. Ex Reformatae religioni addictis Bullingerus (δ), David Pareus (ε), Petrus Ravanelus (ζ) &c; sed & ex Lutheranis B. D. D. Matth. Hoë, Seren. Elect. Saxon. à Conc. Aulic. primariis (η), Dn. D. Joh. Botfaccus, (θ) Theologus Celeberrimus & de Ecclesia Christi universa, cum primis mihi patriam, longè meritissimus, *ἡ ἐν ἁγίῳ*, aliiq; Enim verò omnino aliud est (ut verba B. Dorschei, (ι) Theologi non è multis, mea faciam) fluvius procedens, aliud Fluvii è throno procedentis visio atq; fruitio. Hæc ab illo expressis verbis distinguitur v. 4. Et quamvis haud inviti largiamur, hoc fluvio insimul effusionem donorum coelestium uberrimam subindicari, nondum tamen, quod pace tantorum virorum dixerim, demonstratum fatis, primario eam hinc loci & nihil præterea intelligendum esse. Verior ergò V. illorum remanet sententia, qui ipsum Spiritum S. hinc loci ab æterno à Patre & Filio procedentem, & postea in sanctos copiosissime effluentem depictum volunt. Ut verò hæc eò fiant dilucidiora, notabis I. quod, cum Ecclesiam triumphantem terrestri paradiso

C

com-

χ) *Comm. in Apoc. ad h. l. p. 436. num. 2.* ψ) *investigat. Sensus arcani Apoc. Disp. de argumentoc. XXI, & XXII, Apoc. f. 857. & ad v. 1. c. XXII. f. 948. it in eas V. T. partes, quas respicit Apocalypsis, L. I. (qui VI. est Opp.) ad v. 18. c. 40. Jobi f. 27.* ω) *Comm. in Apoc. in h. l. f. 342. col. I.* α) *in libello de æternâ felicitate Sanctorum l. 2. c. 8. p. 82.* *) *in Comm. sup. 4. Evang. in Job. VII. 38. §. 83. f. 1541.* β) *Comm. in Apoc. ad h. l. p. 831.* γ) *Comm. in Apoc. in h. l. f. 300.* δ) *in Archetypis Homil. in Apoc. p. 178. col. 1.* ε) *Comm. in h. l. p. 1199. seq.* ζ) *in Biblioth. S. part. I. sub voce Fluminis f. 630.* η) *Comm. in Apoc. in h. l. f. 378. 380.* θ) *in Moral. Gedan. sub voce Fluvii f. 378. col. 2. Edit. Vet. 1) part. II. Th. Zach. Loco II. Disp. V. p. 223.*

comparari, ex Luc. XXIII. 43. quilibet, nisi ipsò meridie cœcari velit, videat, etiam à nobis, plurimorum (κ) consensu non destitutus, quicquid etiam dicant alii (λ), facile concedatur, in nostrò ad fluvium ex Eden egredientem Gen. c. II. 10. alludi oraculo. Ut verò illius non modò ortus, sed & rigatio & amœnitas, quam præbebat, describitur: Sic & hîc Symbolo fluvii ad consolationes, quibus cœlestem Ecclesiam Spiritus S. uberrimè refecturus est, suavissimas simul respici nulli dubitamus.

II. Spiritus S. fluvio denotatus non sumitur hîc sensu Socinianò pro virtute DEI (μ) aut effectis Spiritus S.; quas improprias acceptiones plurimas Ravanellus (ν) recenset, sed propriè pro ipsâ tertiâ personâ Deitatis, eadem essentiâ & dignitate cum patre & Filio gaudente. III. Deniq; ratio, cur Spiritus S. hîc fluvio comparetur, duplex est (a) propter processionem, quòd, ut Fluvius non à seipsò, sed à fonte, sic Spiritus S. à Patre & Filio procedat (ξ), (b) propter donorum in Sanctos effusionem, quæ plenis cataractis in cœlites diffundet. Jam aliud est id, quod per Fluvium denotatur, aliud ratio, cur id fluvio denotetur. Uberrima donorum effusio per visionem & inhabitationem Spiritus S. cum P. & F. facta, ut ut ad prius non pertineat, ratio tñ esse potest, ob quam illud Symbolum fluvii Spiritui S. attribuitur. Depingit ergò ac specificat, ut ita loquar, solum effusio illa donorum copiosissima subiectum, quod à throno Patris & Filii procedit.

§. VII. Atq; hisce melioris explicationis gratiâ præmissis, sententiam quoq; nostram argumentis roboramus, I. ex *συναφεία* Textus superius traditâ petentes, ex quâ constitit plus satis (ι) de mente ac intentione Apostoli, perfectissimam cœlestis habitaculi descriptionem exhiberi. Id quod tamen nunquam effectum dedisset, nisi, ut Patris & Filii, quod aliquoties ab eo factum, sic & Spiritus S. adeoq; admirandi totius SS. Trinunitatis mysterii, explicitè meminisset. Idcirco ejus consilium erat, totum Deitatis thronum, h. e. Personarum Trinitatem in essentiali Throni unitate, & essentiæ s. throni unitatem in personarum Trinitate, perfectè hîc loci repræsentare. Per fluvium ergò ad thronum Deitatis

pertinet.

κ) B. D. Hier. Kromajerus Comm. in Apoc. in b. l. p. 571. seq. Chytraeus Comm. in Apoc. p. 419. Cluverus Diluc. Apoc. f. 380. Winckelmann in b. l. p. 474. Magnif. Dn. D. Calov. in Bibl. illustr. ad b. l. Bullinger l. c. p. 178. col. 2. λ) Pareus Comm. in Apoc. p. 1199. μ) Magnif. Dn. D. Scherzerus in Colleg. Anti Soc. Diss. XXI. p. 178. ν) in Biblioth. S. parte II. sub voce Spiritus f. 652. seqq. ξ) recole S. 3. hujus cap.

pertinentem, Patri tamen & Agno in throno contradistinctum Spiritum
 S. indigitari manifestum est. (2) Omnem in omnibus ἀντίκειναι Beatos
 ab & in ipso DEO eoque; solo habituros. Fluvius a. cum pariter ad
 sufficientiam hanc Coelitem faciat, ipse quoque; nil nisi verus Deus erit.
 Jam verò nec Deus Pater, nec Deus Filius est, quippe à quibus discerni-
 tur. Ergò unicum Spiritum S. eò ipso designari colligere unicuique;
 haud difficile erit. II. cum B. Dorscheo (α) & Danhauero (π) argumen-
 tamur ita: Per fluvium aut intelligendum bonum aliquod creatum, aut
 increatum. Sed non creatum. Ergò. Majorem haud quisquam in dubi-
 um vocabit, nisi cum Judæis ac Socinianis (ρ) Ens aliquod medium, quod
 nec creatum nec increatum sit, contra omnem sanam rationem fingere
 velit. Minor confirmatur (α) Q. ἡσιν ὁ θρόνος ad thronum pertinet, id omni-
 nò non est creatum, cum thronus ipse totus sit increatus, quò de infra
 Atqui fluvius ἡσιν ὁ θρόνος s. essentialiter ad thronum &c. Ergò. Assumptio-
 nem Pro-Syllogismi mox argumentum V. comprobabit (b) Q. à throno
 perenniter ac inseparabiliter effluit, id non est creatum quid. At v. de
 fluvio affirmatur antecedens, quòd ita à throno procedat, ut tamen
 semper ac Indivisibiliter in eodem maneat. Ergò. Minor inde patet: Si
 enim separabiliter ac desinenter efflueret, imminueretur tandem felicitas
 ac gloria cœlestis Hierosolymæ. Gaudium enim illud, quod processio
 fluvii ex throno & ejusdem effusio communicabat, Flumine à throno se-
 parato atque; delapsò, etiam apud Beatos periret penitus. Ergò hoc Flu-
 men quid increatum est. Jam si hoc; aut erit attributum aliquod divi-
 num absolutum, aut ipse DEUS: non illud, quippe quod nunquam à
 throno DEI & Agni procedere legitur. Ergò ipse Deus, non autem pater
 ac Filius, à quibus effluit. Ergò Spiritus S. III. Urgemus specialem
 verbi ἐκπορεύεσθαι significatum, quò proprietatem characteristicam Spi-
 ritus S. idem Johannes c. XV. 26. Evangelii insinuavit. Quapropter &
 eodem sensu hie loci fuisse adhibitum, non abs re colligimus. Excipiunt
 equidem οἱ ἐξ ἐναντίας (σ) quod & alibi fulgura ex throno procedere

C 2

dican-

ο) in Theol. Zach. l. c p. 224. π) in Stilo Vindice p. 102. ρ) vid. Sum-
 mè Rever. atq; Excell. Dn. Georg. Greenius, Prof. olim Histor. in Leucorea
 hâc longè celeberrimus, nunc Dresde à Conc. Aulicis Elect. Saxon. multò
 meritisissimus, Dominus ac Præceptor noster atatem colendus in Collegio
 MSS. Theol. Polem. privato, Loco de Creatione Thes. 5. in ἀντιθέσει. σ)
 D. Hoë Comm. in Apoc. in h. b. f. 380.

dicantur. Apoc IV. 5. itemq; vox magna Apoc. XVI, 17. c. XIX. 5. c. XXI. 3., non g. statim eò ipsò characterem personalem tertiæ personæ indicari. Resp. 1. In locis posterioribus verbum habetur ἐξέχουσα, non ἐκπέρευσα. 2. neq; nos simpliciter ex vocabulò ἐκπέρευσα, qs. hoc æternam semper denotaret emanationem à P. & F., sed & ex additis ac simul probè ponderatis circumstantiis cœteris demùm concludimus. 3. dist. inter processum separabilem & inseparabilem. ἐκπέρευσι posterioris generis semper notam Spiritus S. esse characteristicam, extra omnem dubitationis aleam positum est. Probamus idem IV. ex collatione cum aliis V. & N. T. dictis, in quibus Spiritui S. non modò frequentissimè effundi tribuitur Es. XXXII. 15, c. XXXV. 6, 7, c. XLIV. 3; Joel. II, 28, 29. Act. II. 17. 33. quapropter & in eo baptizari dicimur Matth. III, II Marc. I, 8. Luc. III. 16. Joh. I, 26. Act. I. 5; sed expressè aqua, quâ reficimur, appellatur Es. XLIV. 3. aqua viva Joh. IV. 10. fons aquæ vitæ Apoc. XXI. 6. imò & fluvius Joh. IV. 14. c. VIII. 38, 36. Dan. VII. 10, [quod flumen igneum de Spiritu S. cum Ruperto Tuitiensi Magnif. D. D. Calov. (τ), B. D. Wilhelm. Lyserus (υ), B. D. Dorfscheus (Φ), aliiq; exponunt] & c. Cùm ergò communi Scripturæ phrasi Spiritus S. per aquam & fluvium figuretur, cur eandem Metaphoram & hic locum habere inficiaremur? Præsertim, si adhuc novum accedat documentum V. ex divinâ fluvii hujus Origine, quæ est ex throno DEi & Agni. Sicut v. fluvius ejusdem cum fonte: sic & noster unius cum throno, h. e. gloriâ s. essentiâ divinâ, quæ realiter unum idemq; sunt; naturæ est. Ast sanè nullus alius datur fluvius, qui ortum suum ex gloria & essentiâ divina trahat, nisi Spiritus S. Excip. (χ) quod Spiritus S. originem habeat non ex ipsa sede DEi & Agni, sed ex ipsius P. & F. essentiâ, quæ processio infinitis parasangis sublimior sit eâ, quæ ex sede DEi & Agni fiat. Resp. à throno DEi & Agni procedere idem est ac à Patre & Filio ejusq; essentiâ procedere, cum thronus sit ipse Pater, ipse Filius, ut ex seqq. patebit. Præterea VI. attributa & effecta, quæ ex nostro Oraculo cap. III. explicabit, idem evincunt.

§. IX. Deniq; VII. suis quoq; assertum nostrum approbant suffragiis:

τ) Tom. III. System. p. 840. it. in Bibl. illustr. in Dan. VII. 10. f. 617. υ) in Programm. Pentecost. A. 1633. quod recenset Magn. D. D. Calov. T. 2. Bibl. illustr. l. c. Φ) Theol. Zach. Part. II. p. 178. § 222. χ) D. Hoë in Apoc. in b. l. f. 380.

fragiis Theologi plurimi, recentioris pariter atq; vetustioris ævi. Ex il-
 lis Matthias Flacius (ψ), D. Andr. Osiander (ω), Lucas Osiander (α), D.
 Joh. Pappus (β), cujus verba ex MSS. hæc sunt: *Effundit Deus immedi-
 atè in Beatos Amorem essentialem s. Spiritum S. procedentem à throno
 DEI P. & F., qui est flumen vitæ & lætitiæ, torrens gloria ac voluptatis, &
 ubertas domus DEI.* D. Winckelmannus (γ), Chytræus (δ), D. Dorsche-
 us (ε), B. D. Danhauerus (ζ), Cluverus (η), Hieron. Kromayerus (θ),
 Dan. Cramerus (ι), Magn. D. D. Calovius (κ), D. D. Joh. Andr. Lucius (λ),
 D. D. Godfr. Olearius (μ), aliiq; plurimi, item ex Pontificiis Nicol. Lyra
 (ν), Thomas (ξ) [sive is sit Aquinas si alius Anglicus, quo de adhuc sub-
 judicelis est] (ο), sic quoq; ex Calvinianis Piscator (π) &c. Eadem & ve-
 terum Patrum fuit interpretatio. Audiatur Andreas Cæsareæ Cappo-
 dociæ ArchiEpiscopus (ρ): *ὁ μὲν ἐκ τῆς ἐν τῷ παρθένῳ βίῳ [ἐκκλησιαί] ἐκ-
 πορευόμενος ποταμὸς, τὸ τῆς παλιγγενεσίας ἀνίτηται βάπτισμα.
 Διὰ πνεύμα] & μὲν [ἀγία] ἐνεργείον, κατὰ τὸ δὲ τῶν λεγομένων
 ὑπὲρ χινοῦ καὶ κρύσταλλου ἀπὸ τοῦ ζῶντος ποταμοῦ. Τὴν ἴδιον ἰερὸν σαλήμ ὁ
 ποταμὸς τῶν θεῶν ὁ πεπληρωμέν] ὑδάτων, τὸ ζῶν πνεῦμα ἀγα-
 πορεύεται. ἐκ τῶν θεῶν καὶ πατρὸς ἐκπορευόμενον, καὶ διὰ τῶν ἀγγέλων
 διὰ μέσ] τῶν ὑπερτάτων δυνάμεων, αἰ. φέρν] τῆς θεότη] ὀνομα-
 ζονται.*

C 3

ψ) in Glossâ Comp. in N. T. super Apoc. ad h. l. f. 1393. ω) in Notis ad h. l.
 α) Paraph. Bibl. ad h. l. β) in Comm. super Apoc. MSS. in h. l. citatum
 à D. Danbauero in Stilo Vindice p. 101. γ) Comm. in Apoc. ad h. l. p.
 474. δ) Comm. ad h. l. p. 419. ε) in Theol. Zach. part. II. Disp. V. S.
 42. p. 187. & S. 61. p. 223. seqq. ζ) in Hodosoph. Phænom. 3. p. 268. E-
 dit. nov. 1666. Phænom. 10. p. 1503. item in Stilo Vind. p. 100. η) in Di-
 luc. Apoc. ad h. l. p. 379. θ) in Theol. Posit. Polem. Artic. II. th. 12. p.
 158. & thes. 15. p. 184. it. in Comm. in Apoc. ad h. l. p. 572. 573. & 579. ι)
 in der Erklär. der Offenbahr. Joh. ad h. l. κ) in Syst. Theol. T. III. Ar-
 tic. IV. cap. 3. qv. 2. p. 838. seqq. it. in Bibl. illust. T. IV. in h. l. p. 1922.
 λ) in Concion. super Apoc. Conc. 193. f. 1185. μ) in Annot. Bibl. Theo-
 retico Practicis in h. l. p. 442. ν) ad h. l. ξ) in Exposit. Apoc. ad h. l.
 ο) vid. Corn. à Lap. Prolegom. in Apoc. f. 12. & B. D. Klozius in ἀγσελο-
 λογεία p. 420. π) Comm. ad N. T. Schol. 1. ad c. XXII. 1. f. 825. ρ) in
 Comm. Græco (quem Theodor. Peltanus cum Versione Latina edidit. A.
 1596. Colonia) in cap. XXII. Apoc. vel, secundum divisionem Andreae, c.
 LXVIII. Apoc. f. 106. Edit. cit.



ζονται. τὰς πλατείας πληρῶν τῆς ἁγίας πόλεως. δηλαδή τὸ πλῆθος
 αὐτῆς, τὸ ὑπερ ψάμμον κατὰ τὸ ψαλμῶδὸν, πληθυνόμενον. h. e.
 ex Versione Peltam: *Per fluvium, qui in mortali hęc vitā ex Ecclesia pro-*
cedit, regenerationis lavacrum adumbratur. Hoc n. per Spiritum S. mo-
tum, omnes, quot quot in eo abluuntur, omni nive ac crystallo puriores ni-
tidioresq; reddit. At verò fluvius Dei, qui supernam Hierusalem, largā a-
quarum copiā irrigat, est Spiritus S., qui ex Dei & Patris throno per A-
gnum procedit; & per medium supremarum virtutum, quę divinitatis
sedes nominantur, dilapsus, sanctę civitatis plateas, n. multitudinem e-
jus, quę juxta Psalmistam arena numerum excedit, ubertim recreat. Sic
Ambrosius (σ), Mediolanensium Episcopus: Hic est fluvius de sede DEi
procedens, is est Spiritus S. quem bibit, qui credit in Christum, sicut ipse
ait: Qui sitit, veniat ad me, & bibat; qui credit in me, sicut dicit Scriptu-
ra, Flumina de ventre ejus fluent aquę vivę: hoc autem dicebat de Spiri-
tu. Ergo Flumen est Spiritus. Hic igitur est in sede DEi. Agmen clau-
dat Rupert. Tuitiensis (υ), qui, Spiritus S., inquit, hoc est Flumen vitę, hic
torrens glorię, hoc flumen letitię, hic torrens cęlestis voluptatis & ubertas
domūs DEi. Ipse namq; est Amor Sponsi & Sponsę in illa gloriosissima ci-
vitare. Quid enim est tota illius vitę vel civitatis vitę ac beatitudo, nisi
iste Amor?

§. XI. Quę in contrarium objiciunt, parvi vel nullius potiùs mo-
 menti sunt. Urgent n. 1. hęc dici Spiritum S. procedere à throno DEi &
 Agni, cùm tamen ipse sit in throno. Hęc duo v. à se invicem longissi-
 mè differre, vel ex eo constare, quòd & alibi fulgura à throno DEi & A-
 gni procedere legantur. R. (a) Spiritus S. & in throno DEi & Agni sedet,
 & à throno etiam procedit. At illā phrasi consideratur quā essentiam e-
 jusdemq; cum P. & F. communionem, hęc v. quā æternam à Patre & Fi-
 lio emanationem. Neq; tamen (b) procedit à throno Spiritus S., ut ab
 eo separetur, sed ut ab eodem maneat indivulsus, quò de jam suprā §.
 IX. 2. Obj. autoritatem patrum, Bernardi (υ) aliorumq;. Resp. (N)
 argumenta ab autoritate Patrum petita in interpretatione S. Scriptura-
 rum, nisi accuratè cum his omnibusq; Loci cujusdam circumstantiis
 concordent, pari facilitate rejiciuntur, quā afferuntur. (D) Autoritati

auto-
 σ) lib. 3. de Spiritu S. cap. XXI. τ) super b. l. citatus à Chytrao in Expli-
 cat. Apocal. p. 419. & à Flacio in Glossa Compend. in N. T. ad b. l. υ)
 Serm. 1. de diversis.

autoritatem Patrum opponimus, ut modo præced. §. præstitum. 3. præferunt Scripturæ dicta, quæ huic Loco parallela statuunt Ps. XXXVI. 9. Ef. LXVI. 12. Resp. (a) Agi in his locis de largissimâ celestium bonorum effusione, cum, quæ in Ecclesia militante est, ac quâ primum intuitû hic intelligitur, tum, quæ per illam insinuata, ad futurum pertinet seculum, nemo negabit. Neq; (b) quisquam dubitabit ea loca ad explicandam rationem appellationis, cur scilicet Spiritus S. in nostro Oraculo cum Fluvio comparetur, tanquam parallela huc commodè posse trahi. Negamus tamen (c) atq; pernegamus, ex cc. II. demonstrari, per Fluvium in nostro Oraculo non Spiritum S., sed celestium bonorum copiam, ex visione Dei futuram, unicè intelligi.

§. X. Et hæc de Onomatologiâ Fluvii, quo Spiritum S. à P. & F. procedentem, & inde in Beatos effluentem adumbrari ex hæcenus dictis in aprico est. Ad rem ipsam progressis tria evolvenda erunt, Fluminis fons, Eiusdem processus, ac deniq; Via effluxûs. Ex illo ipsius Natura, ex isto character ejus, quem personalem vocant, ex hac larga ejusdem in beatos profluentia innotescet.

§. XI. Non verò procedit hic fluvius ex montanis, scaturiginosis vel etiam ex mari, unde alias fluvii origine strahunt. Eccles. I. 7. sed *ἐκ τῆς θρόνου τῆς ἁγίας*, tanquam ex fonte. *θρόνος*, ab antiquo *θρόνος* sedeo, solium s. sedem augustam summorum Magistratum denotat. Cum verò ejusmodi solium plerumq; pretiosissime exornari, ac aurû gemmisq; coruscare soleat, ut gloria, potentia & magnificentia insidentis eò magis inde eluceat. Cujusmodi olim thronus Solomonæus erat, quem ex ebore & aurû artificiosissimè pariter ac splendidissimè extructum Orbis admirabatur I. Reg. X. 18. II. Paral. IX. 17. hinc per Metonymiam, quam signi pro signatô Rhetores vocant, pro ipsâ gloriâ, majestate, potentiâ itē, imperiô atq; Dominiô, quod in thronô sedentes exercere solent, in S. literis haud rarò usurpatur. vid. Ps. LXXXIX. 5. Luc. I. 52. Apoc. XVI. 20. ubi in ipsis terminis thronus bestię s. Anti Christi regnum ejus esse asseritur. Atq; hōc impropriô significatu accedente simul *ἀνθρόπων θρόνοι* tribuitur variis, non modò hominibus, electis scilicet atq; Beatis triumphantis Ecclesię, qui dicuntur sessuri in in thronis Apoc. III. 21. c. IV. 4. &c. h. e. regiâ dignitate & judiciariâ potestate gavisuri; sed & spiritibus, iisq; cum finitis, bonis & malis, quâ ratione Angeli *θρόνοι* ipsi dicuntur Col. I. 16. quòd quasi in thronis sedeant, h. e. potentissimi

tissimi sunt Spiritus: Sic & Satanae thronus adscribitur Apoc. II. 13. potentiam, imperium ac tyrannidem ejus denotans; tum infinito, DEO, cum sit βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων, καὶ κύριος τῶν κυριευόντων I. Tim. VI. 15. vid. Hebr. XII, 2. Apoc. IV. v. 2, seqq. & alibi passim. Ubitamen nemo adeò absurdus erit, ut thronum hunc DEI localem & corporeum fingat, nisi Anthropomorphitarum haeresin, profligatam dudum feliciter, ex Orcò revocare velit. Et quamvis in visionibus thronus in Symbolo corporeò fuerit representatus, in se tamen est incorporeum, quid. Nam, uti piaculum est, DEUM ex eò, quòd in formà aliquando apparuerit humanà, hominem dicere, sic quoq; nec gloriam s. thronum ejus, sub terrenò Symbolò se manifestantem, terrenum inde ac corporeum affirmare licebit. Neq; tamen etiam per thronum DEI intelliguntur Angeli, quos ex Pseudo-Dionysio Areopagitâ (ϕ) in primâ Classe Hierarchiæ coelestis ultimos, Phrasi Paulinâ, Thronos vocant Pontificii, hoc eorum munus fingentes, ut Deum portent insidentem (χ). Ast ut omnia quæ de Hierarchiis tribus, tribusq; in quavis Ordinibus traduntur, siculneò planè, imò nullò nituntur fundamentò, (ψ) sic & thronorum descriptio, desumpta ab officiò eorum, dubia, incerta, nulla est, cum potius, ut jam modò patuit, observante quoq; ipsò Alcafare (ω) non passivè, sed activè, quòd quasi in thronis confideant, thronorum nomen Spiritibus bonis conveniat. Insinuatur ergò per thronum Dei summa ejusdem majestas & gloria, sumpta non modò ἰσχωρῶς, quatenus notat ipsum axioma in Deò, ob quod coruscat præ omnibus aliis, sed & χειρῶς, pro ut ipsam glorificationem, adorationem & celebrationem essentiae divinae significat, præstandam à creaturis rationalibus, non ut conferant Deo hòc ipsò gloriam, sed eandem laude debitâ extollant. Quo de scite B. Gerhardus (α): *Non ita magnificatur à nobis Dominus, ac si nostris laudibus major redderetur, sed tunc à nobis exaltatur, quando Altissimus esse cognoscitur; tunc magnificatur, quando ipsius magnitudo agnoscitur & predicatur.*

§. XII.

ϕ) lib. 1 Hierarchiæ coelestis cap. 7. seq. χ) vid. præter Gregor. M. in Ev-
ang. Homil. 34. etiam Lombardus II. sentent. dist. 10. Thomas Aquinas Part.
1. Theol. qv. 108. Artic. V. ψ) vid. D. D. Calov. Syst. Theol. T. IV. Art. 1.
cap. 2. p. 64. & qv. X. p. 90. seqq. Gomarus in Coloss. I. 16. part. I. Opp. f. 551. seq.
ω) Comm. in v. 4. cap. IV. Apoc. notab. 6. f. 309. α) in LL. Theol. Tom. I.
de Natura Dei cap. 23. f. 156.

§. XII. Coeterum thronus Dei adhuc dupliciter spectatur, vel in se & ad intra, vel ad extra, prout sese scil. exerit, & conspiciendum præbet vel irascendo vel favendo. Atq; sic hoc modò iterum dividitur in thronum iræ & iudicii, à quò poenas peccatis gravissimas dictitante, refugiunt homines; & in thronum gratiæ, ad quem meritò passionibusq; Christi placatum, verà fiduciã accedunt miseri Hebr. IV. 16. inde per & propter iustitiam Christi ipsis imputatam, gratiam, remissionem peccatorum, renovationem ac adoptionem impetrantes. Illo modo thronus Dei iterum bifariam consideratur vel absolutè vel relatè in ordine ad tres Deitatis personas. Absolutè si thronum spectes, per eum intelliges nihil aliud, quàm quòd alibi lucem *αὐτοφάνειαν*, quam Deus inhabitare dicitur, Scriptura appellat. i. Tim. VI. 16. (β), scil. ipsam Majestatem, sublimitatem, opulentiam & magnificentiam Dei, ex absolutissima ejusdem Perfectione redundantem. Cùm n. Deus omnis planè defectus expers sit, & quicquid perfectionis concipi, imò plus quàm concipi potest, in se contineat, hinc non potest non summã, inenarrabili, quin & incomprehensibili gloria ac majestate coruscare. Quam ob causam etiam in Scripturis passim Magnus, laudabilis, gloriosus &c. nuncupatur (γ). Supeditat v. hanc throni interpretationem ipse Christus, ubi thronum Patris Apoc. III. 21. alibi per gloriam Patris, vel etiam simpliciter per gloriam Matth. XVI. 27. c. XXV. 31. exponit. Atq; hæc majestas & gloria cum neq; à coeteris attributis, neq; ab essentia divina realiter differat, hinc nec thronus, qui ad designandam illam gloriam Deo tribuitur, quid diversum erit à Deo, sed ipse Deus. Quamvis interea contra Euumonium hæreticum, omnem planè distinctionem in divinis negantem, nonnullosq; ex Scholasticis, quos Nominales vulgò vocant, constanter afferamus, distinguì & ab essentia & ab attributis reliquis formaliter & solâ ratione ratiocinatâ. Essentia n. divina adeò fœcunda & perfecta est, ut, licet sit res una ac simplicissima, diversos tamen conceptus formales in intellectu terminare possit: quæ tamen conceptuum diversitas non officit idenditati reali. Quibus cognitis non confundes dextram cum throno Dei, quæ inter, cum B. Danhauero (δ), id constituimus discrimen,

D

quod

β) vid. Dorsche in Pentad. Diss. prælim. p. 19. γ) vid. Gerhardus LL. Theol. Tom. I. de Naturâ Dei cap. 23. f. 155. seq. it. D. Calov. Tom. II. System. p. 227. seq. δ) in Hodosoph. Phenom. 8. p. 775. & in Anti-Cornæ cap. IV. p. 63.

quod est inter Majestatem & potentiam Dei. Thronus n. seu per eum denotata Majestas concipitur à nobis ut attributum ἀνεργητον, describens essentiam divinam in se & absolutè citra respectum ad operationem. Dextra v. potentiam divinam (ε) denotans sistit nobis essentiam divinam cum respectu ad ἐνεργειαν, adeoq; ad attributa Dei pertinet ἐνεργητικὰ. Interea tamen dextra semper concipitur in Throno. Hinc & Dextra Throni audit. Ebr. XI, 2. dextra Majestatis Ebr. I. 3. dextra Throni Majestatis in coelis Ebr. VIII. 1. Gloriosissimus n. Deus intelligitur, cum nobis sistitur Omnipotentissimus. Quare & B. Paulus Majestatem divinam demonstrat ex infinita potentia, quod sit μόνον δυνάστης, ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλεύοντων, &c. I. Tim. VI. 15. quin & plura attributa ad thronum hunc pertineant, quæ, utut formaliter ab eo sunt distincta, tamen nunquam non gloriam ac Majestatem Dei luculenter arguunt.

§ XIII. Ut a. tota Throni facies plenius ob oculos ponatur, notabis, quod Thronus Dei sit I. *Infinitus*, non infinitate Mathematicâ, est n. incorporeus, illocalis, sed Metaphysicâ, quâ omnes respuit terminos (a) essentia, quippe ejus essentia est illimitabilis (b) durationis, est n. æternus cum à parte antè, tum à parte post Ps. XLV. 7. Ebr. I. 8. (c) præsentia, quia est ubiq;, continens coelum & terram Es. LXVI. 1. Act. VII. 49. (d) potentia. Namq; est thronus dextrae Dei, per quam mutare potest omnia Ps. XXVII. 11. magna facere & mirabilia Es. XV. 6. & creare omnia Es. XLIX. 13. II. *Gloriosus*. Es. VI. 1. Ezech. I. 26. Dan. VII. 9. atq; propterea adorabilis Es. VI. 3. 4. &c. quicquid etiam hîc ineptiant Sociniani, adorabilitatem Deo non propter Majestatem s. essentiam divinam, sed propter beneficia tantum vendicantes (ζ). III. *Unus*. Ut n. una tantum dextra, sic & unus tantum thronus. Et quamvis tres in illo sint Deitatis personæ, non tamen ideò multiplicatur Thronus. Falsum n. est & ἀπερραθῆς, quod Cornelius à Lapide (η) quatuor in divinis thronos statuit, unum absolutum seu essentialem, & tres relativos seu personales. Hos a. thronos relativos significare, ait, trium personarum ὑποστάσεων seu subsistentiam ejusq; hypostaseos dignitatem & excellentiam. Cum n. Paternitas, Filiatio & Spiratio eximia quædam & æquales per-

ε) vid. Danhauser. *Hodosoph. Phenom.* 8. p. 771. ζ) vid. D. Calov. *Tom. II. Syst.* p. 228. & p. 247. seq. η) *Comm. in Sirac. c. XXIV. v. 7. cujus verba citata ap. Dorsch. in Intervent. pro myst. SS. Trin. p. 42. it. in Theol. Zach. part. II. p. 168.*

les perfectiones sint, hinc unamquamq; etiam peculiari λατρεία colen-
dam esse, atq; adeò, ut adorabilitatem triplicem, sic triplicem, præter u-
num illum essentialem, quò essentia divina absolutè considerata adora-
ratur, thronum personalem dari fingit, quod commentum etiam Cor-
neus (θ) propugnat. Ad quod Reip. 1. redolent hæc hypothesin Pon-
tificiam, quâ subsistentiam quandam absolutam & tres relativas, adeoq;
quaternionem in divinis comminiscuntur. Quo de plura in Porisma-
te primo. 2. Unde probabunt suprâ citati, thronos significare ipsam
trium personarum subsistentiam? Dicunt, non probant. 3. Ut ut amba-
bus largiamur manibus, adorari & seorsim unamquamq; in divinis per-
sonam, & omnes tres personas in essentia unitate posse, non tamen ideò
triplicatur vel quadruplicatur adorabilitas & majestas in Deo, adeoque
nec thronus, quia una eademq; majestas adoratur in Patre, quæ in Filio,
eadem in Spiritu S. quæ in Patre & Filio. Nam, uti τὸ Deum, Domi-
num, Omnipotentem, Creatorem esse &c. seorsim & Patri, & Filio &
Spiritu S. competit, at verò tres ideò Deos, Dominos, Omnipotentes
ac Creatores dicere, Catholicâ fide prohibitum esse, Symbolum Athana-
sianum contra Arianos docet: Sic quoq; ut ut Pater, Filius & Sp. S. seor-
sim adorentur, non ilicò tn. multiplicabitur Majestas ac Adorabilitas.
4. distingue inter id, quod ad Thronum pertinet, & quod peculiarem
thronum constituit. Damus faciles, Paternitatem, Filiationem & Spi-
rationem passivam esse perfectiones in personis divinis, adeoq; etiam ad
thronum pertinere, tanquam Objectum adorabile, negamus interea, esse
ejusmodi perfectiones, quarum quælibet peculiarem thronum, ab uno
illo invisibili, incomprehensibili ac simplicissimo, quem essentialem
Cornelius vocat, (cum hoc n. identificatur potius ejusmodi perfectio)
distinctum constituat. Imò 5. si propterea, quod Paternitas, Filiatio
& Processio eximie perfectiones sint, Patri, Filio & Sp. S. tres peculiare
throni adscribendi forent, darentur potius quinque in divinitate throni,
cùm præter thronum, quem paternitas constituit, adhuc alium sibi ven-
dicaret Spiratio in Patre activa, & alium præter Filiationis thronum Spi-
ratio in Filio, quippe & hæc eximie perfectiones sint ejusdem dignitatis
cum prioribus. Ut taceam 6. quod nulla proprietas, s. absoluta s. re-
lativa, unquam adoranda sit, sumpta præcisè & in abstractione ab essen-
tia & cæteris attributis divinis, quæ ad thronum spectant. Id quod

D 2

passim

θ) vid. Dorscheus in Anti-Corneo cap. 4. p. 64.



passim B. D. Dorscheus (1)) contra adversarios, Pontificios, pluribus deduxit. Non ergo tres personæ in divinis tres peculiare thronos habent, sed omnes tres uni throno insident. Hinc etiam Scriptura unius semper throni Divini meminit, ut Apoc. III. 21. ubi Christus ipse testatur, quod in eodem uno throno cum Patre sedeat. Sic quoque Johannes unum thronum, & in medio unius throni videbat Agnum, Apoc. V. 6. conf. cap. VII. 17. Est denique IV. *thronus incommunicabilis* ulli meræ creaturæ. Ex lege sancita capitali plectebatur poenâ, si quis apud Persas regiam conscendisset sedem (κ): quid ergo mirum, quod thronus divinus nullum admittat insidentem, nisi ipsum Deum. Repugnat enim Natura infiniti finito, ut vel ex Metaphysicorum canone nemini obscurum est. Amplior hic pateret differendi campus, præsertim, si cum Pontificiis, Adorabilitatem etiam creaturis tribuentibus, [quos præter alios prolixè refutat Summè Reverendus atque Magnificus Dn. D. Præses, in Synopsi Controversiarum Papisticarum (λ)] in arenam descendere liberet, sed brevitate studiosi unico illo ac luculento Scripturæ testimonio Strophas Adversariorum facile profligamus omnes, quo ipse testatus est Deus, se gloriam suam nulli alii daturum Es. XLII. 8.

§. XIV. Sed sufficient hęc de absolutâ Throni consideratione; relativam si aggrediamur, thronus respicit tres Deitatis personas, quibus æqualiter competit. Hinc I. thronus dicitur in nostrò Textu τῶ θεῶ, ubi vocabulum θεός non ἁπλοῦς accipitur, quatenus notat essentiam divinam, communem omnibus tribus personis, sed ὑποστατικῶς, quâ ratione una tantum ac certa persona eò ipso denotatur. Et quoniam eadem h. l. à Filiò, cujus etiam thronus est, & à Spiritu S. à throno procedente distinguitur, primam Deitatis personam, DEUM scilicet Patrem, innuere in proopatulo est. Quemadmodum idem sæpius in S. monumentis videre est Joh. I. 1. 2. cap. III. 16. Rom. VIII. 3. sic, quoties in Exordiis Paulus gratiam & pacem precatur à DEO, Patre nostrò & Dominò Jesu Christo Rom. I. 7. I. Cor. I. 3. &c. Neque tamen Pater DEUS vocatur κατ' ἐξοχήν ut præter Episcopium (μ), quandam ἐξοχήν & prærogativam Deo attribuentem, propter quam absolutè DEUS dicatur, etiam non nulli

1) in *Intervent. pro myster. S. S. Trin. cap. 4. p. 48. seqq. it. in Vindictis Anti-Corneanis cap. 4. p. 63. seq. in Theol. Zach. part. II. Diss. 4. p. 168.*
 κ) *Diod. Siculus l. 17.* λ) *Diss. Anti-Papist. 6. θ. 7. seqq. p. 44. seqq.*
 μ) *Instit. lib. 2. cap. 32.*

nulli ex Calvinianis; Calvinus (v) & Ravanellus, horumq; complices som-
 nant. His pollicem premunt Pontificiorum nonnulli, qui etiam præ-
 eminentiam ac majoritatem Patri præ Filio assignant, uti Bellarmino (ξ)
 Clichtovæus (o) aliq;. Nam quibuscunq; etiam hæc Phrasis inducatur
 coloribus, semper tamen infertur aequalitatem personarum, adeoq; Ari-
 anis, Aëtianis, Eunomianis, Macedonianis, Photinianis & horum fa-
 vet auctoritas. Εξοχή enim semper infert respectum ad duo, ad majoritatem,
 & minoritatem, ita, ut, cui illa adstruitur, ille major, à quo v. remouetur
 ille minor habendus sit. At ejusmodi majoritatem & minoritatem in
 divinis non admittit perfectissima personarum ὁμοιοτία, quare & talis
 ἐξοχή à Patre proseribenda penitus: præsertim cum & alibi Filius DEI
 τοῦ patri legatur Joh. V. 18. & ut hic loci Patri, sic alibi & Filio & Spiritu
 S. nomen ἁγίας absolute & personaliter attribuatur. vid. Act. XX. 28.
 II. Tim. 3. 16. Act. 5. 3. collatō cum v. 4. II. Cor. VI. 16. collat. cum I. Cor.
 6. 19. I. Joh. 5. 7. coll. cum v. 9. DEO itaq; Patri, quò de hæctenus, pri-
 mum thronus tribuitur non propter dignitatem aliquam aut præeminen-
 tiam, sed ordinem personalem. Quia enim fons atq; principium SS.
 Trinitatis est, quòd essentiam divinam cum attributis habeat ἀγεννήτως
 & à se ipso, hinc primus in throno legitur: Unus enim licet idemq; om-
 nium personarum in divinis thronus sit, modus tamen habendi eundem
 differt, ut ex post dicendis erit liquidum.

§. XV. DEUS a. Pater habens majestatem, gloriã ac excellenti-
 am infinitam, incommunicatam ab aliò, sed à se ipso, eandem numero
 majestatem per æternam generationem communicavit Filio, & hic per
 unionem personalem assumptæ Humanitati. Quam ob causam idem
 thronus patris etiam II. τῷ ἁγίῳ in Textu nostro esse dicitur. Per τὸ ἁγί-
 ον (diminutivum ἀπὸ τῆς ἀγίας ἀγνός agnus), quod & alibi Scriptura ἁμνόν
 appellat I. Petr. I. 19. non naturalem h. l., sed mysticum Agnellum,
 Christum scilicet significari, quilibet, nō planè in S. literis hospes sit, intel-
 liget, cum propter convenientiam, quam cum Agnò habet (π), tum
 quòd non modò Agnis sacrificialibus, ad Leviticum cultum pertinenti-

D. 3;

bus,

v) cit. à Ravanello part. 1. Biblioth. sub voce Deus f. 444, cujus sententiam
 ipse approbat. ξ) de Christo lib. 1. cap. 10. §. 2. & 3. o) cit. à Gabr.
 Vasquez. Tom. 2. in Part. I. Disp. 122. cap. 3. p. 86. it. à B. Dorsch. in In-
 terr. cap. 2. p. 20. π) vid. D. Job. Andr. Lucium in Conc. super Apoc. in
 c. V. 6. f. 389. seqq. & in c. XIV. 1. f. 841.

bus, de quibus in Exodô, Leviticô & Numeris passim. conf. Ebr. IX. II. seqq. sed & imprimis Paschali præfiguratus sit 1. Cor. V. 7. conf. Exod. 12. 46. cum Joh. 19. 36. (p). Hinc non modò sæpiùs in Scripturis Joh. I. 29, 36. 1. Petr. I. 19. &c. & præsertim in Apocalypsi vicies novies Agnus, sed & Agnus, occisus ἀπό τῆς καταβολῆς κόσμου Apoc. XIII. 8. Eph. I. 4. Joh. XVII. 24. 1. Petr. I. 20. (decretô puta æternô ac valore) vocatur. Cum g Christus per Agnum in thronô intelligatur, quaritur, an secundùm utramq; naturam, divinam ac humanam, thronus ipsi vendicandus. Ubi tamen distinctim ponderanda erunt duo, I. quod divina Christi natura in thronô sit, imô eadem ipsa sit thronus ipse. II. quòd ad illum etiam Humana Christi Natura sit exaltata. Prius haud quisquam inficiabitur, nî planè cum Ebionitis, Cerinthianis, Samaritanianis, Pelagianis, Arianis aliisq; antiquis hæreticis, divinæ Christi Naturæ hostibus infensissimis, Hunc meram creaturam, adeoq; & throni, quem Pater habet, increati haud participem fingere velit, ad quos, præter alios, cum primis etiam Socinianos referas oportet, qui pariter hunc thronum solius Dei patris esse ex Dan. VII. 9. Apoc. IV. 5. evincere conantur (σ) quasi v. Theologia parabolica semper esset argumentativa, aut in visionibus ex apparitione externâ sessionis Patris, quæ est κατ' οἰκονομίαν, ad negationem sessionis Filii in thronô, quæ est κατ' ὁμοσίαν, valeret consecutio (τ) Aliud enim ex nominibus Christo tributis, soli Deo propriis ac in communicabilibus, itemq; ex operibus [quæ passim Scriptura de prædicat] divinis ac attributis edocti, Christo ut veram Deitatem, sic eundem Majestatis thronum cum Patre tribuimus, quem Hic verè ac propriè, ut ut hyperphysicè ac imperscrutabiliter, generando Filium, Huic communicavit. Dixi Eundem thronum; Communicatâ enim essentiâ Patris, quæ realiter non distinguitur à thronô, non potest non & idem communicari Patris thronus. Hinc impiù est, thronum, quem per generationè à Patre Filius accepit, inferiorem thronô Patris, aut eidem tantùm similem dicere, eò, quod Filius hunc non à se ipsò, sed ab aliò habeat. Quod tamen Epilco-

p) vid. hæc de re CL. Job. Frischmuth in Diss. de Agno Dei super Job. I. v. 19. D. Lucius l. c. σ) Crellius L. 1. de uno Deo Patre c. 8. Smalzius part. I. contra Smigletium p. 12. 47 48. Socin. in Anti-Wiek. aliq. τ) via Magnif. Dn. D. Scherzerus in Colleg. Anti-Sociniano p. 108. B. D. D. Botsfacc. in AntiCrell. c. 8. p. 59.

p̄scopius asserere non erubuit, (v) divinitatem Filio & Patri subordinatē
 tribui maioremq; dignitatis perfectionem competere Patri, quā Filio
 statuens, eò quòd Pater eam à seip̄o habeat, hic v. tantum à Patre. Id
 quod ex Socinianorum Scholis didicisse creditur, siquidem Smalzius
 (Φ) etiam duplicem faciat gloriam DEI, aliam quæ ipsi, nempe Deo Pa-
 tri, propria est, aliam quæ similis est ei, quæ Deo propria est, quam poste-
 rior Filio, quem creaturam putat, tribuit. Huc refer, qui §. præced.
 prærogativam quandam in Deo Patre defendere voluerunt. At una
 tantum omnium personarum in divinis est gloria, unus est thronus, ut
 supra §. 13. ostensum. Tò verò à patre genitum esse, & per id accepisse
 thronum, nota non defectus cuiusdam aut imparis gloriæ, sed distincti-
 onis ac originis est, indicans modum habendi thronum & essentiam in
 Filio, distinctum propter naturam ipsam Filii, ab eò, qui est in Patre. Ut
 enim Pater non esset Pater, nisi genuisset Filium, sic nec Filius esset Filius, ni-
 si à patre esset genitus, nec ut Filius in throno sederet, nisi à patre per ge-
 nerationem illum haberet communicatum. Ubi tamen ut terminus
 Generationis, sic & Communicationis throni à Patre factæ ab omni im-
 perfectione, quæ aliàs eidem in humanis adherere solet, repurganda est,
 ut excludat omnem majoritatem & præexistentiam Communicantis, &
 minoritatem participantis, nihilq; inferat aliud, quàm originem ac per-
 fectionem in Filio, quam pari ratione patri, ac ἀγεννησίαν & generatio-
 nem Filio incommunicabilem facit confusionis Personarum evitatio.
 Interea hæc nil obstant, quò minus una & æqualis in utroq; sit essentia &
 gloria. Omnia n., quæ Pater habet, & sua esse, adeoq; & eundem unum
 Thronum, ipse Salvator testatur Joh. XVI. 15. in quò cum Patre considerat
 Apoc. III. 21. Unde & in Scripturâ passim nomine Jehovah Jer. XXIII.
 6. Θεὸς ἰ. Thess. III. 31. μόνος θεὸς ὅτις καὶ κυρίως, epist. Judæ v. 4. Domi-
 ni gloriæ 1. Cor. II. 8. &c. insignitur, pariq; cum DEO Patre honoris ac
 religionis cultu ubiq; afficitur.

§. XVI. Hunc Thronum, quem λόγος ab æternò habet, Huma-
 næ Christi Naturæ quoq; non denegamus, quicquid etiam in contrari-
 um moliantur adversarii θεολομαχοί, alium pro Humanitate Christi
 Thronum, quàm Patris, fingentes. Hinc, quoties in Apoc. Throni DEI
 & Agni mentio fit, per thronum, regium domicilium, Cœlum nempe,
 intel-

v) lib. 2. Instit. c. 32. Φ) refut. monstrorum pag. 16.

intelligunt, (χ) sicut & per dextram DEI in throno locum aliquem certum finitum (ψ), & per $\tau\theta$ sedere in throno ad dexteram, finitam potestatem & proximum à DEO honorem. Imò in genere thronum DEI, Humanæ Christi Naturæ concessum, oppugnant, quotquot Communicationem Idiomaticam (atq; sic etiam Throni) Humanitati Christi factam, inficias eunt (ω), præsertim, qui Majestatem & Gloriam Adorationis quæ est propter sessionem in Throno, Humanitati Christi denegant, ut Arminiani (α) & Calviniani (β), qui distinguunt inter Gloriam Adorationis verè & absolutè divinam. Dicunt, Humanitati competere Gloriam Adorationis verè divinam, majorem equidem, quàm in ullam creaturam cadere possit, non tamen absolutè divinam, utpote quæ soli DEO propria &c. Ut taceam Pontificios, qui non λαγεία, sed υπεργλαεία Humanam Christi Naturam venerantes, Thronum pro Humanitate Christi alium, quàm Majestatis divinæ infinitæ constituunt. Contra quos notamus (I) duplicem in Scripturis Christo-homini adscribi thronum, quorum alter thronus DEI s. Patris, alter Thronus Christi audit. In posteriori throno accepit Christus gloriam, potestatem & Majestatem finitam, utut excellentissimo gradu; quem thronum etiam communicabit iis occupandum, qui, tentationibus & persecutionibus hujus mundi fortiter superatis, sicut Victores ac Reges in Ecclesia triumphante cum CHRISTO in æternum dominaturi Rom. V. 17. I. Cor. VI. 2. Matth. XIX. 28. Luc. XXII. 30. majestate & gloriâ coruscabunt ineffabili Dan. XII. 48. Matth. XIII. 43. I. Cor. XV. 41. seqq. Hinc & Salvator: *Qui vicerit &c.* Apoc. III. 21. Ab hoc toto Cælo differt Thronus Patris, qui est supra omnes creaturas & sanctos Dei Angelos Ebr. I. 13. 14. notans infinitam potestatem, gloriam ac sublimitatem, ut supra §. XI. vidimus. Non tantùm in illo Humanitas Christi sedet, quod volunt adversarii, exemplo (planè alienissimo) Bathsebæ hoc illustrantes, quam filius honore, non tamen regio ac majestatico, quo ipse tantum

χ) *Ravanell. part. 2. Biblioth. in Voce Thronus f. 741.* ψ) *Bullinger. Comp. Relig. Christ. L. 6. c. 8. Zanchius L. 2. de Nat. Dei qv. 4. Piscator Comm. in N. T. in Schol. ac Observ. ad 1. Petr. III. v. 12.* ω) *vid. Magn. D. D. Calov. Tom. VII. Syst. Theol. p. 316.* α) *Apolog. c. XVI.* β) *Leydenses in Exam. Cens. Remonstr. c. 16. Waleus in LL. CC. Polanus Syntagm. L. 2. c. 31. Voëtius Dissp. Select. p. 543. vid. Magn. Dn. D. Calov. T. II. Syst. Theol. p. 253. seqq. & Tom. VII. p. 393. 394.*

tum gaudebat, sed secundo saltem in throno à dextris collocaverit
(γ). Sed & in hoc, nempe ipso throno Majestatis DEI, Humanitatem
CHRISTI sedere post evincemus. Unde & thronus Humanitatis Chri-
sti thronus æternus Theodoreto iñ Ebr. I. audit. Ubi tn. (II) totum
thronum, non partem ejusdem intelligimus. Cuicunq; n. communi-
catur, ei non μερικῶς, sed ὁλῆϊ ὡς communicatur, quippe est indivisi-
bilis ac summè simplex. (III) notabis, quòd Humana Christi Natura
h. l. non seorsim & abstractè in se & conditione naturali, prout separa-
tur ab unione personali, spectetur, sed, prout est Natura subsistens in
personā τῆς Λόγῃ. Hinc, quamvis suprà ostensum, nulli creaturæ
hunc thronum esse communicabilem, non tamen obstat, quò minus
nunc ad eundem Humanam Christi Naturam, creatam quidem, at in
persona τῆς Λόγῃ infinitè subsistentem referamus. (IV.) Ejecta dici-
tur Humana Christi Natura ad thronum non propter excellentiam
quandam habitualement aut potentiam eximiam creatam, subjectivè ipsi
inherentem, sed propter unionem personalem cum Λόγῳ. (V) notes
modum diversum habendi thronum. Filius eundem habet κατ' αὐτὸν,
ab æterno communicatum per generationem æternam, imò à parte rei
est ipse thronus, Humana v. Christi Natura occupat eundem in tempore
κατ' ἄλλο & per Unionis gratiam. Quapropter rectè Hugo de S. Vi-
ctore (δ): *Ex quo Humanitati Divinitas conjuncta est, ex ipsa Deitate ha-
bit ac accepit per Gratiam totum, quod Divinitas habuit per Naturam.*
Et propter hunc diversum modum habendi etiam omnis, quam Euty-
chiani somniant, naturarum confusio, exæquatio, conversio exspirat (ε).
(VI.) Deniq;, ut de tempore hujus Communicationis Throni constet,
distingv. inter Phrases has: *Humana Christi Natura accepit communi-
cationem Throni in ipsa Unione Λόγῃ cum carne, &: Humana Christi
Natura in Throno communicato sedet.* Prius statim à primo Conce-
ptionis momento verum est, posterius demùm de CHRISTO dicitur
post exaltationem ad dextram DEI. (VII) Humanæ Christi Naturæ
fessionem in throno, & propter eandem etiam Adorabilitatem quando

E

γ) vid. Schröderus in Tract. de Controv. inter Evangelicos & hæreticos
hodiè agitatis p. 148. & in Throno Regali, part. 2. cap. 2. p. 136. δ) L. 2.
de Sacram. fidei Christian. Part. 1. c. 6. ε) Chemn. Tr. de 2. Nat. in
Christo c. 22. seqq. Schröderus Tr. de Eutychnismo & Nestorianismo
p. 330. seqq.

tribuimus, cave sis, ne duas sessiones aut duas Adorabilitates in CHRI-
STO θεαθεωπρω fingas; Ut n. unus est thronus, sic una sessio, ac deniq;
una adorabilitas, imò & unus numerò adorationis actus, quò tota per-
sona adoratur, ut duplex sit terminus illius adorationis, utraq; nempe
Natura in unione spectanda. Hinc & Concilia anathemate percusse-
runt, qui non unâ adoratione Verbum incarnatum cum propria ipsius
carne honorificabant (ζ).

§. XVII. Asserti nostri veritatem S. Scriptura quoq; commo-
strat, non modò iis locis, quibus gloriam, potestatem summam, hono-
rem item ac cultum divinum [non nisi ei deferendum, qui in throno in-
creato ipsius DEi sedeat] Christo secundum Humanam Naturam com-
municatum asserit Col. II, 9. Ps. VIII. 6. Ebr. II. 7. 8. Dan. VII. 14. Joh.
V. 22. 23, 27. Es. XLV. 23. Rom. XIV. 11. Phill II, 11. (η). sed &, quo-
ties Sessionis Christi ad dexteram DEi Patris, ad quam post gloriosam
in Cœlos Ascensionem exaltatus est, meminit Ps. CX. 1. seqq. Eph. I. 20.
seqq. (θ). Dextra n̄, ut jam semel iterumq; patuit, nunquam non est
in throno, & sessio ad dexteram semper presupponit thronum, in quo
dextra sit, & quis sedere possit. At v. secundum Humanitatem CHRI-
STO sessionem à dextris DEi Scriptura adjudicat, quippe cuius in tem-
pore demùm factus est particeps. *Quæcunq; v., teste Athanasio, Scri-
ptura dicit accepisse Christum in tempore, propter Humanitatem dicit,
non propter Divinitatem (i).* Ergò & thronus Majestatis divinæ Chri-
sto-Homini rectè assignatur. (κ). Id quod v. omnium maximè elucet
ex apertis librorum divinorum monumentis, ubi non tantum Christo-
homini promittitur thronus divinus II. Sam. VII. 13. I. Paral. c. XII. 12.
Ps. LXXXIX. 3. Matth. XIX. 28. Luc. I. 32. sed & in eodem, qui Patris est,
collocatus legitur Ebr. VIII. 1. c. XII. 2. Apoc. III. 21. c. XXII. 1. 3. Ut
taceam, quòd jam in V. T. Filius DEi in assumpta forma hominis in thro-
no apparuerit Ezech. I. 26. eoq; ipso Humanæ suæ Naturæ, in thronum
Patris

(ζ) vid. Can. 8. Concil. Ephes. & Can. 9. Concil. Constantinopol. II. η) Chemn. Tract. de 2. Nat. in Christo c. 21. seqq. θ) vid. Schröderus in
Throno Regali Part. I. ubi hæc & similia Loca explicat. i) in Orat. 4.
contra Arianos. κ) vid. Thronum Regalem, aureum illum libellum,
quem pro sessione Christi-Hominis ad dextr. DEi conscripsit B. Dn. Joh.
Schröderus. Latinitate donatum ab Ebelio, & Vindicias Throni Regalis
& Sceptrum Regale Christi, ubi fusiùs hæc de re.

Patris post evēhendæ, q̄s. præluferit. Hisce suffragatur etiam pia An-
tiquitas. Hinc Eustath. apud Theodor. (λ) *humanam Naturam σύν-
θετον cum divinissimo Spiritu dicit, propter DEum inhabitantem in i-
psa inseparabiliter.* Sic Chrysof. apud Theodoret, *Christus assumptam
suam Naturam obtulit Patri, qui eam fecit throno sui participem, Et pau-
lò post: Hodie Angeli & Archangeli naturam nostram in throno Regis
gloriæ immortalis fulgentem considerant.* Et Ambrosius (μ): *Christo se-
cundum Humanitatem datur consortium divine sedis.* Cyrillus (ν):
*Humanitatis parvitas in summa & excellentissima natura dignitatem
pervenit, & ipsam in dignitatis, gloriæ ac Majestatis throno collocavit.*

§. XIX. Constat itaq; quòd Thronus in divinis sit DEO Patri
ac DEO Filio proprius, qui tamen ad eundem assumptam quoq; carnem
evexit. Atq; hic thronus Patris & Filii i. potius Metonymicè Pater &
Filius in uno throno, qui cum essentia divina identificatur, fons est, [ne-
que enim ineptis Richardi à S. Laurentio (ξ), qui, uti per Flumen Ma-
riam, quò de jam supra, sic per sedem DEI & Agni, Patriarchas sanctos,
in quibus DEus Pater & Filius sedendo regnaverit, & ex quibus Maria
ortum habuerit &c; immorari juvat, quas recitasse simul est refutasse]
ex quo deniq; scaturit Flumen illud, quod pariter ad thronum pertinet,
CrySTALLINUM, Spiritus Sanctus. Ubi tamen adhuc probè circa hunc
fontem notabis, quòd ille non tantùm sit Pater, aut Filius saltem, sed
uterq; simul, Pater & Filius in uno Throno, neq; pater primariò, ac Fi-
lius secundariò, aut ille mediatè & hic immediatè Flumen hoc emittat,
ad quam ψευδὲς ἰσχυρισμὸν ansam fortè præbere posset illa Græcorum
formula, quâ Spiritum S. à Patre per Filium procedere dicebant: cujus
locutionis sensus hic, annotante Svarezio (ο), videri posset, quasi Pater
Filio dedisset virtutem spirandi Spiritum S., Filius a. immediatè eundem
spirasset, atq; ita Pater tantùm mediatè per Filium produxisset tertiam
personam. Verùm uterq; aequè spirant, [unò numerò spirationis actu]
Spiritum S. Quare, uti Spiritus Patris, quòd à Patre procedat Matth.
X. 10. sic & ob eandem causam Spiritus Filii audit Gal. IV. 6. Neque
tamen inde, quòd & Pater & Filius, duæ realiter distinctæ Deitatis per-
sonæ, fons sint, ex quo Spiritus S. emanet, duplex principium processio-

E 2

nis

λ) Dial. 2. μ) lib. 5. de fide cap. 2. ν) Dial. 6. ξ) lib. 9. de laude
S. Mariae p. 523. ο) in Part. 1. Thoma Tr. 3. qui est de mysterio SS. Trin.
Lib. 9. c. 4.

nis Spiritus S. cum nonnullis Scholasticis rectè dices. Durandus n. (π) & Gregorius (ρ) in rigore Patrem & F. non esse unum principium, sed potius duo appellanda, it. Concilia non absolute dicere, esse unum principium, sed Spiritum S. procedere ab iis *tanquam* ab uno principio, statuerè non verentur: Quos Suarezius (σ) refutat. Hinc & repudianda prorsus phrasis eorum, qui Patrem & F. duos spiratores nominant, à quibus Spiritus S. spiretur. Sicut n. propterea, quòd Pater creet, Filius creet & Spiritus S. creet, tres personas, minùs rectè tres Creatores appellaveris; sic multò minùs, quòd & P. & F. intra complexum Deitatis Spiritum S. spirant, duo spiratores nominandi erunt. Terminus n., observante Joh. de Rada (τ), Adjectivus Numeralis Substantivo appositus ponit significatum suum, quod est numerare, circa formale significatum substantivi, h. e. τ Spirator, numeratq; principia spirandi in P. & in F. At v. utut vis atq; potentia spirandi & in P. & in F. sit, utut Pater eandem habeat à se, Filius v. ab alio per Communicationem & generationem essentiaè divinaè à Patre, utut deniq; & P. spiret, & F. spiret, non tamen plurificari ac numerari debet alia vis spirandi in P., alia in F., quippe quæ in utroq; una numero ac eadem est, & sic etiam una actualis spiratio. Disputant contra hos prolixè Joh. de Rada (υ) & Franc. Suarez (φ), qui tamen concedunt, Patrem & F. duos spirantes dici posse, ubi Adjectivum Numerale significare, ajunt, numerationem ac pluralitatem personarum spirantium, non verò multiplicationem virtutis spirandi. At v. quamvis posterior Phrasis omninò aliquo modo dextrè explicari possit, ut notet tantum personarum dualitatem, tutius tamen esse ac consultius monent nonnulli, ab hâc formulæ novitate si abstinere-
atur, ut omnis adversariis excipiendi præscindatur occasio.

§. XIX. Pater & F. g. unus Spirator, unus fons est, ex quo Spiritus S. dicitur *ἐκπορεύεσθαι*. Verbum *ἐκπορεύεσθαι* proficisci, iter ingredi &c. vel *generalissimè* accipitur pro quacunq; egressione, v. g. spirativâ verbi vel sermonis ex ore loquentis Deut. VIII. 3. Matth. IV. 4. c. XV. 18. Luc. IV. 22, locali & externa hominum Mare. I. 5. Luc. III. 7. Matth. XX. 29. generativa Judic. VIII. 30. manifestativa Dei scil. per signa externa se manifestantis Ps. LXIX. 8. Mich. I. 3. deniq; emanativâ,
e. g.

π) in I. sent. dist. 29. qv. 2. ρ) dist. 12. qv. 1. σ) in I. Thome Tr. 3. de Trin. lib. X. c. 7. f. 504. τ) Part. I. Controv. inter Thom. & Scotum Controv. 16. Artic. 2. υ) loc. cit. φ) in I. Thome Tr. 3. l. X. cap. 7.

e. g. fluminum Gen. II. 10. Ezech. XLVII. 1. vel specialissime pro aeterna emanatione & productione tertiae praecise personae à P. & F., contra distinctam generationem Filii Dei, aut ejusdem ac Spiritus missioni temporali Joh. XV. 26. Dan. VII. 10. (x). Atq; hoc specialissimo significato Scriptura accurate distinguit inter τὸ ἐκπορεύεσθαι & inter τὸ ἐξέρχεσθαι. Hoc, quoties aeternam Filii Dei generationem, & nativitatem ejusdem temporalem à Virgine Maria, ac missionem ad officium, quae & missionem Spiritus S. describit, usurpatum deprehendes, at v. illud nunquam. Latini illam emanationem ac productionem tertiae personae describentes, Graecorum ἐκπορεύεσθαι per τὸ procedere reddiderunt. Ubi tamen, quod in gratia Patrum nonnullorum, & cum primis Scholasticorum monuisse, fas erat, distingue inter τὸ procedere, quod personis divinis tribuitur, late & strictè sumptum. Illo modo non tantum Spiritum S. à P. & F., sed & Filium à P. procedere, & aeternam generationem Filii, processionem à P. dicunt (ψ). Quo sensu etiam Augustinus (ω) illud adhibuisse legitur. *Filius, inquit, processit nascendo* &c. & alibi: *Quicquid gignitur, etiam procedit, sed non contra: Quicquid procedit, etiam gignitur.* Sic & Latina Translatio (α) aliquando, ubi Scriptura de missione Christi ad officium loquitur, τὸ ἐξέρχεσθαι per procedere reddidit Joh. VIII. 42. Strictè verò tantum Originem Spiritus S. à P. & F. indicat, ac characterem ejus constituit personalem, quò tertia persona distinguitur à coeteris. Nos & τὸ ἐκπορεύεσθαι & τὸ procedere in postrema h. l. acceptione sumimus, quae & ab eod. Evangelistà Johanne in Hist. Evang. id usurpatum supra constitit. An verò hæc processio dici possit generatio, inter Scholasticos disceptatur. Argumenta, quae affirmativam defendunt, Rada recitat atq; prolixè confutat (β). Nos brevissimis cum Chrysostomo (γ) Resp. *Quod non est scriptum, non est sentiendum vel dicendum.* Cum g. S. literæ nunquam

E 3

quam

x) vid. Gerh. Lóc. de Spir. S. §. 60. seqq. D. D. Calov. Syst. Theol. Tom. 3. p. 804. B. Danhawer in Stilo Vindice p. 98. conf. Ravanell. in Biblioth. S. sub voce procedere Tom. II. p. 361. seqq. ψ) vid. Lombard. lib. 1. dist. 13. c. 2. Thomas part. I. Summae qu. 27. Artic. 1. & 2. Suarez. in I. Thom. Tr. de Trin. lib. 1. c. 9. Alexand. Pesantius in 1. Thom. qu. 27. Art. 2. 3. f. 170. seq. ω) lib. 5. de Trin. c. 14. α) B. Chemn. LL. CC. Tom. I. Loc. de Spir. S. f. 96. β) part. I. Controv. inter Thom. & Scot. Controv. 14. p. 218. 235. γ) Homil. de Spir. S. adorando.

quam dicant, Spiritum S. à P. generari, hinc etiam ejusdem processionem generationem appellare, nefas erit. Ut taceam, quod, si Spiritus S. esset genitus, amborum nempe P. & F. esset Filius (d), quod absurdum.

S. XX. Infert a. hæc ἐκπόρευσις ineffabilem totius ac ejusdem, quæ una ac tota est in Patre, & una ac tota in Filio, essentiæ divinæ Communicationem [quod olim negasse Petrus & belardus (e) fertur] factam à P. & F. intra ipsum Deitatis sinum per unam numero spirationem, peculiaremque; ὑπόστασιν ab ὑπόστασει P. & F. distinctionem. Non g. hæc processio est rei αὐτοπροσώτου, qualis v. g. verbi ex ore procedentis Matth. IV. 4. sed pro terminò agnoscit personam, pari ratione, ac generatio in divinis. Hinc & Spiritui S. passim subsistentia, intellectus, voluntas, actusque; personales, incubatio, sanctificatio, testificatio, & quæ sunt alia suppositorum, attribuuntur. Cave in., hanc processionem Fluminis separabilem fingas à thronò DEi & Agni, quippe quæ fit intra æternum Deitatis complexum, ubi neque principium, neque medium, nec finis, ubi semper procedit à thronò, ut tamen propter intimam essentiæ communionem semper etiam sit in thronò, quapropter & ἐνώπιον τοῦ θεοῦ αὐτῶν in conspectu throni illius, qui est, qui erat &c. Apoc. I. 4. conspicitur. Utrum v. hæc processio fiat immediatè à Naturâ, quæ olim Durandi (z) fuit sententia, an v. immediatè per actus voluntatis, quod Scholastici communiter asserunt, quos contra Durandum magnò numero Svarezius (η) laudat, utrum fiat per Voluntatem, non ut libera, sed ut natura est, juxta Thomam (θ) aliosque; an per Voluntatem, non ut natura, sed ut libera est, quæ Scoti (ι) aliorumque; est opinio, aliaque; hujus furfuris ζήτηματα, piè potius negligenda, quàm scrupulosius rimanda, omitto. Processionem scimus; modum inexplicabilem statuimus. Hinc est, quòd nec discrimen inter generationem Filii DEi ac processionem Spiritus S. quoad modum definire queamus, quicquid etiam viribus hinc suis confidant Pontificii, varie

d) vid. Augustinus lib. 15. de Trin. cap. 27. & Tract. 99 in Johannem. e) citatus à Dn. D. Calovio Tom. III. Syst. Theol. p. 808. z) in I. dist. 6. qv. 2. & dist. X. qv. 2. η) in I. Thom. Tr. 3. de Trin. l. 1. c. 5. & 6. conf. Pesantius in I. Thom. qv. 27. Art. 5. θ) part. I. Summa qv. 41. Art. 2. & Comm. in eundem. ι) in I. lib. sent. dist. 2. qv. 7. & dist. X. qv. unica, & Quodl. 16. Sic Richardus, Gabriel, Bonaventura &c. vid. Radam P. I. Contr. XIII. p. 205.

variè hæc duo ab invicem discriminantes. Durandus n. (x) unam tantum emanationem in divinis, quæ sit à naturâ, statuens, eam sic distingvit, ut, cum per appropriationem tribuatur intellectui, tum generatio, cum v. voluntati, tum processio Spiritus S. sit. Alii (λ) duplicem Processionem in Deitate concedentes, dicunt, quod Filius procedat immediate per intellectum divinum, Spiritus S. immediate per Voluntatem: Hinc etiam ille verbum s. λόγος, quod, sicuti verbum à mente hominis, sic & Filius ex intellectu Patris originem habeat: Hic v. Amor & Charitas utriusq; P. & F., substantialis, quæ ad Voluntatem pertinet, appellatur. Ubi tn. nonnulli (μ) adhuc distingvunt inter τὸ intelligere & dicere, quæ actiones ad paternum Dei intellectum, & inter τὸ amare & spirare, quæ ad Voluntatem Dei referunt. Dicunt, generationem Filii proprie factam esse à Patre per τὸ dicere, non v. formaliter per τὸ intelligere; processionem verò Spiritus S. à Patre & Filio per τὸ spirare, non amare. Fundamentum eorum est, quod τὸ intelligere sit essentialè & commune omnibus 3. personis; uti & τὸ amare; dicere verò sit proprium Dei Patris, & spirare Patris & Filii, & quæ huiusmodi sunt alia, quæ intricatè magis ac scrupulosè, quàm verè & religiosè ab iis disputantur. Intellectus enim divinus & Voluntas eum reipsâ τὸν τὸ π. sint & non differant, quâ ratione inde discrimen inter generationem & processionem peti potest, quod illa fiat per intellectum, hæc per Voluntatem? Accedit, quod nec ita λόγος ab æternò producat ex Mente patris, uti verbum aliquod nostrum ab intellectu nostrò, quod diversa ab eò, à quò producit, est essentialè, sic nec Amor ita se habet in divinis, uti in nobis. Unde & modum tanti mysterii, quod ἀνατάλητον καὶ ἀρρήτων Scriptura dicit, hisce terminis accuratè explicare haud quisquam poterit. Quod alibi deduxit fufius Magn. D. D. Præses (ν) Et quamvis patres nonnullos hæc similitudine usos fuisse constet, qui τὸ nasci l. gigni esse ab intellectu cognoscente, procedere v. à voluntate pariter dixerunt, non tn. hoc ipsò eos modum harum productionū exactè determinare, sed aliquali saltè simili tanta mysteria rudioribus crudè & crassè

x) quem cit. refutat Suarez. in I. Thom. Tr. 3. lib. 1. c. 6. 7. Pesant. in I. Thom. qv. 27. Art. 3. 4. 5. f. 117. λ) Thomas P. I. Summa qv. 27. Art. 4. Pesant. l. c. Suarez. l. c. μ) Scotus in I. dist. 2. qv. 7. & dist. 27. q. 1. 2. & quodl. 2. & 4. Suarez. l. c. cap. 6. f. 361. ν) in Colleg. Anti-Syncret. MASS. Loco de Deo qv. 8. §. 10.

crasse depingere voluisse; ex pronunciatis aliorum patrum liquet. Sic
n. Nazianzenus (ξ) *Audis generationem, quò ea pacto fiat, arguè ne inda-
gato; audis Spiritum esse, qui procedat de patre, quò id pacto fiat, curiosè
ne perscrutator.* Et (ο): *Tu mihi proprietatem illam Patris ediffere, quã
generationis expers est, & ego tibi rationem generationis Filii & processio-
nem Spiritus S. explicabo, quò fiet, ut ambo deliramus, introspectantes ad
Dei mysteria.* His addo Augustinum (π) sic differentem: *Distingvere in-
ter generationem & processionem nescio, non valeo, non sufficio.*

§. XXI. Hosce secuti piò silentiò veneramur potiùs eã, quæ i-
pse Spiritus S. dele voluit abscondita, ne, moniti à sapientissimò Regum,
Solomone, (ε) scrutatores Majestatis opprimamur ab eadem. Rectè v. A-
nastadius (σ): *Quæ fide tradita sunt, hæc non humanã sapientiã, sed auctori-
tati fidei percipienda sunt.* Ne a. planè hic tacuisse videamur, alias cum
Scripturâ ponimus differentias, quòd productio Filii, secundum phrase-
ologiam Spiritus S. dicatur Generatio, productio a. Spiritus S. processio,
Illa sit à solò patre, hæc à P. & F., Illa (ut Nyssen ad Abladium aliq; Pa-
tres loquuntur) sit à Patre proximè, & nullò interveniente, Hæc v. inter-
veniente Filiò, quæ tn. cum granò salis accipienda sunt, ne inde Spiritus
S. processionem αὐέσως à Filiò, & ἐμμέσως à patre factam fingas,
siquidem nil aliud hòc ipso indicatur, nisi, quòd Filius sit à Patre, qui
vim generandi Filium & spirandi Spiritum S. habeat à se ipso, Spiritus S.
v. etiam sit à Patre, & simul quoq; à Filiò, qui tn. id, quòd spirare potu-
erit, acceperit à Patre, adeoq;, communicatã priùs vi spirativã à Patre,
Spiritum S. spiraverit. Ulteriùs non datur progredi adhuc in viã con-
stitutis, attamen omninò triumphatoribus olim in coelesti Ierosolymã.

§. XXII. Hæc de processu Fluminis. Ut v. Deitatem Spiritus S. fons &
origo, sic & ejusdem personalitatem, distinctam ab hypostasibus P. & F.,
arguit ἐκπρόρροσις, per quam h. l. nota Spiritus S. characteristica intelli-
gitur. Quamvis intereã non negaverim, simul voce ἐκπρόρροσις h. l. ad
uberrimam illam consolationum ac voluptatum, quibus Beatos Spiritus
S. rigabit, respici affluentiam, utpote manifestationem processionis æter-
næ. Hinc deniq;, etiam Via effluxus observanda erit curatius, quam, ut
ut non quidem disertè Textus noster, prima tn. v. seq. verba ostendunt,

quæ
ξ) Orat. XXIX. ο) Orat. 37. it. D. Hieron. Dialogo Græco de S. Trinitate [ex
Edit. CL. Daamii, Cygneæ 1677] p. 4. & Dialogo Gennadii Scholarii. ibid.
π) lib. 3. contra Maximinum c. 13. ε) Prov. XXV. 15. 26. σ) in Epist. ad Serap.

quæ commodissimè (τ) ad oraculum nostrum, ex v. i. petitum, referuntur. Effluit v. Spiritus S. *ἐν μέσῳ τῆς πλατείας αὐτῆς*, scil: *πόλεως*. Non intelliges Viam, nisi Civitatem, cujus plateæ medium viam fluvii pandit, probè habueris perspectam. Est v. illa magna & sancta civitas Jerusalem, de Cœlò descendens Apoc. XXI. 2. 10. in cujus descriptione adhuc versatur Apostolus. Sed quævanam illa Civitas? Ecclesiam, in his terris militantem, per eam intelligunt plurimi, qui tamen adhuc inter se maximè discrepant. Nonnulli enim I. eandem de felicitate Ecclesiæ Apostolicæ sub initium exponunt, teste Aug. Marloratò (υ). Quidam II. felicitatem Ecclesiæ subsequentiæ temporum, ut Pontificiorum nonnulli gloriam Ecclesiæ Rom. sub Constantino ac deinceps, [quam sententiam ipse Cornelius à Lap. (ϕ) rejicit] & Hugo Grotius (χ) statum Ecclesiæ florentissimum à temporibus Constantini ad tempora usq; Justiniani, describi sibi imaginantur. Alii III. secula última, post debellatas omnium hostium turbas, ante judicium extremum, hanc Jerosolymæ descriptione adumbrari persuasum sibi habent. Non hîc dicam de Chiliastris vetustioribus, hanc Civitatis cœlestis gloriam ad aureum illud seculum, mille annis in his terris duraturum accommodantibus, ubi *Civitas sancta* [referente Lactantio (ψ)] *constituetur in medio terre, in qua ipse Conditor cum justis dominantibus commoretur* (ω) &c. Quin potius Thomæ Brigtmanni (α), Angli, hîc meminisse juvat, hanc Civitatis representatione Spiritum S. adhuc in terris versari, adeoq; in eadem non nisi statum Ecclesiæ militantis per conversionem Judæorum, paucis abhinc lustris futuram, renovatum adumbrari somniantis. Et, ut hilce nihil deesset nugis, hanc renovationem ad solam Ecclesiam Reformatam, eamq; in specie Helveticam, Svevicam, Genevensem, Gallicam, Belgicam, Scoticam [has enim sub columnâ Philadelphienâ, nomen novæ Jerosolymæ accepturâ Apoc. III. 12. figurari suspicatur (β)],

F

τ) vid. Lucas Osiander in Pamph. Bibl. ad Apoc. XXI. 1. Dn. D. Lucius in Conc. super Apoc. Conc. 193. f. 1188. col. 2. υ) in Cathol. N. T. Expos. Eccles. super Apoc. XXI. 1. f. 1186. ϕ) in Apoc. XXI. f. 306. χ) in Annot. Bibl. ad Apoc. XXI. 1. ψ) lib. 7. Instit. div. cap. 24 p. m. 723. ω) vid. de his Corn. à Lap. Comm. in Apoc. XX. f. 291. col. 2. C. David Pareus Comm. in Apoc. XXI. p. 1150. α) vid. Ejusd. Apoc. Apocalypseos in Schol. ad cap. XXI. p. m. 392. col. 2. seqq. Edit. 2. it. ad cap. III. 12. p. 58. col. 1. β) Brigtmann. in Scholiis ad Apoc. III. p. 52. col. 2.

quæ una, Pontifice Romæ cum grege suo funditus extirpatô, gentibusq; reliquis, etiam Europæis [aliam scil. à Calvinianâ religionem amplectentibus] ut infrugiferis ramis excisis, tanquam columna sit perstitura, & Judæorum accessione aucta mille annos summâ vitæ sanctitate atq; puritate hoc in mundo regnaturam. Ejusdem farinae Jacobi Brocardi (γ) est *σφέβλωσις*, novum in his terris statum Ecclesiasticum & Politicum, quem, Papismô ac Mahumedismô penitus destructô, in unâ novâ Ecclesiâ, eaq; in Christo [ut loquitur] sanctificatâ, spirituali, prædestinatâ &c. & uno regno Christi futurum fingit, indigitari opinatur. Sunt deniq; IV., qui per Jerosolymam hanc nec totaliter Ecclesiam militantem, nec ex toto triumphantem intelligunt sed mixtim nunc unam descriptionis particulam ad hanc, mox alteram ad illam referunt, ut sunt Ubertinus de Castellis (δ), & quem pro se citat, Richardus. Consentit Hortulanus, nec non Turrianus in libro de Eucharistia (ε), ut plures omittam. Censoriam quoq; virgulam merentur ea, quæ ex Sebast. Meyero Marlhoratus (ζ) adduxit, quibus hanc Jerosolymam non de futuri tantum seculi felicitate, sed de toto regni Christi statu, sub initium videl., medio tempore & ultimæ felicitatis exponendam esse apertè indicatur.

§. XXIII. Vêrum enim verò rectius sentiunt, qui hanc coelestem Hierosolymam de triumphante Ecclesiâ interpretantur, ut quoq; à nobis factum supra Artic. II hujus Sectionis. Id quod inter alia dilucidè demonstrat (I) ordinata Textuum Apocalypiticorum ad se invicem consequentia. Postquam n. cap. XX. de strage hostium, de resurrectione mortuorum, judiciô item extremô plurima vaticinatus fuerat Johannes, ordo postulabat, ut de statu etiam post judicium nonnulla subnecteret Theologus. (II) Pœnarum præmiorumq; quorum illæ damnatis, hæc Victoribus adjudicantur, evidens oppositio v. 7. & 8. Sicut a. de illorum cruciatibus, post hæc seculâ in stagnô sulphureô perferendis; sic & vi oppositionis de horum coelesti felicitate loquatur Apostolus necesse est. (III) negata templi præsentia v. 22. quô tn. haud carebit Ecclesia in his terris militans; utpote quatuor potissimum ob fines maxime necessariô (η) (IV) Nunquam in posterum in Civitate futurâ Solis Lunæve indigentia

γ) *Comm. super Apoc. p. 352.* δ) *Tract. de 7. statibus Ecclesiæ cap. 8. §. 2.*
 ε) *vid. Alcasar in Vestig. arc. sens. f. 851. & Corn. à Lap. l. c. f. 306.* ζ) *loc. cit. f. 1186.* η) *vid. Bellarm. Tr. de felicitate aternâ lib. 2. c. 7. p. 76.*

tia v. 23. & cap. XXII. 5. At viiis adhuc indiget status Ecclesiæ terrenus. (IV) omnimoda peccati absentia. In hac autem vitâ etiam pientissimi à fomite peccati, in cinesatione demùm periturò, non sunt liberi. Quò v. adhuc superstitite, etiam renatus subinde, quod vult, non facit, &, quod odit, agit. Rom. VII. 15. 19. (VI) Rationem τὴν ἐξ ἐναντίας insufficientia, quarum potiores (coeteras n., cum sint levioris momenti, adduxisse quid juvat?) sunt (a) quòd hæc Civitas, &, quæ ad eam pertineant, dicantur de Caelò descendere; cum tn. Ecclesia triumphans nunquam descensura, sed fixa potius in omnia secula in cœlis sit permansura. (b) quòd in descriptione hujus Civitatis Spiritus S. ad multa alludat Loca V. T., in quibus tn. de Ecclesiâ militante sermo sit. (c) quòd nonnulla, quæ hæc in visione enarrantur, ita comparata sint, ut in cœlesti beatitudine aptum locum habere posse vix videantur, ut sunt fundamenta Civitatis duodecim, portæ, mensuratio, ambulatio gentium, Flumen plateam interfluens, fructus &c. Verum n. v. vana hæc minusq; tuta παρρησια, latibula. Nam quòd ad I. attinet, descendit Hierosolyma (N) non ἐν τῷ σφαιρίδι seu re ipsâ, sed in Visione. In Spiritu n. illam vidit Apoc. XXI, 10. (D) non localiter, ut Brigtmannus (θ) nugatur, sed originaliter, adeoq; hòc descensu cœlestis tantùm Origo denotatur (i), quia cœlestis est gratia, quâ Deus eam fecit. Sic Baptismus Johanneus dicitur de Caelò Matt. XXI. 25 non q. i. dem primum in Cœlis fuerit, sed quòd ex institutione divinâ originem suam traxerit. Ad II. reponimus (a): Posito, quòd ita se res habeat, non tamen obstat, quò minus ea, quæ secundùm literam de Ecclesia loquuntur militante, à Spiritu S. accommodentur ad triumphantem. Exempla in sacris passim sunt obvia. (b) quis nescit, Prophetas Φεγγόμενος τὸ πνεῦμα τῷ ἁγίῳ 2. Petr. 1, 21. multa locutos, quorum impletio simul & Ecclesiam militantem & triumphantem respicit, illam quoad inchoamentum, hanc verò quoad complementum. Ad istiusmodi a. h. l. à Spiritu S. alludi vaticinia, faciles damus. Sed quid inde pro se Adversarii? Nec quicquam III. valet. Commodè enim hæc omnia sensu mystico cœlesti applicantur patriæ, cujus incompræhensibilis gloria atq; majestas variis hæc visione describitur Symbolis, in quibus tamen Nihil terrenum [ut scitè hæc de re Pareus (κ)] est cogitandum.

(θ) loc. cit. (i) vid. August. l. 20. de Civ. Dei c. 17. vid. Primas. lib. 5. Comm. in Apoc. f. 193. Extat Tom. VI. Biblioth. Patrum. (κ) Comm. in Apoc. p. 1198. 1199.

audum. Ita balbutit nobiscum Deus de rebus terrenis, quae nobis pulcherrima & jucundissima hic videntur, ut caelestium rerum pulchritudinem aliquantulum adumbret. Hinc omnem difficultatem dextra tollit explicatio, quam apud Orthodoxos atque genuinos videlicet Interpretes (λ).

§. XXIV. Triumphantis ergo Ecclesiae Majestatem h. l. describi nullus dubitabit. Quod ut agnoscat Ludov. ab Alcasar, septemque insuper propugnet argumentis (μ), in eo tamen adhuc obiter notandus venit, quod, procul dubio Paulo V. Romano Pontifici pro galero ac purpuram palpi obtrusurus, omnem hanc caelestis gloriae magnitudinem singulariter, ut loquitur, ad eam gloriam revocari fingat, quae in Caelo Romanam Ecclesiam manet (ν). Sed hujus temeritatem à Cornelio Cornelii utcumque probatam (ξ) pluribus retudit B. Dn. D. Hoë (\omicron), quem a consulas.

§. XXV. Atque in hac Civitate, statum Beatorum caelestem praefigurante, conspicua maxime est π λ τ ϵ ι α ν una, lata: quae, uti praeter collationem Locorum Scripturae (π) vel ex etymo constat, denotatur spatium patens, amplum, longum, latum &c. (ρ) vel potius ipsum π λ Beatorum ac Paradisus caelestis, conf. Apoc. II. 7. cum XXII. 2. quem coetus Triumphantium olim inhabitabit. In medio hujus plateae effluit Spiritus S. De Phrasi τ ϵ ι α ν in medio alicujus esse vide Ravanellum (σ) & Flacium (τ). In sinuatur autem larga beneficiorum Spiritus S. ad omnes profluentia, horumque omnibus Beatis communis fruitio. Sic Deus, quoties fidelibus praesentiam suam gratiosam promittit, dicitur in medio Sionis futurus. Ps. XLVI. 6. Lev. XXVI. 12. Ut verbo dicam: Via effluxus est tota Jerosolyma sancta, sicut jam modo constitit, Ecclesia in caelesti paradiso triumphans, quam alluendo mirifice refrigerabit Spiritus S. Id quod pluribus docebit

CAPUT

λ) B. Cluverum, B. D. Hoë aliisque super haec loca. μ) Comm. in Apoc. Disp. de argum. cap. XXI. & XXII f. 852. 853. ν) vid. Ejus Investigatio Arvani sensus in Apocal. f. 854. seqq. it. in Dedicacione ad Paulum V. circa finem. ξ) Comm. in Apoc. f. 306. \omicron) Comm. in Apoc. f. 320. π) vid. Ravanellum Part. 2. Bibl. f. 304. seq. num. 2. & 4. ρ) vid. Matth. Polus in Synopsi Criticorum & Commentatorum in Apoc. f. 205. σ) part. 2. Biblioth. p. 45, 46. τ) in Glav. Script. Part. 1. f. 646. seqq.

CAPUT III.

De

Triplici Fluminis Affectione.

§. I. Commendatur Flumen Hoc à puritate, aquis (quas vehit) vitæ, ac deniq; splendore. Nos positum verborum in Textu secuti primo ponimus loco puritatem, ob quam Fluvius noster *καθαρός* purus audit. Male Syriaca, Vulgata, Dieterbergeri &c. Versio hoc fluvii prædicatū q̄s. præpositero Riberæ (*) judicio superfluum omisit, cum, si non in omnibus, certe plerisque Codicibus Græcis reperitur. Varios a. *τὸ πῦρον* admittit significatus, quos inter haud infrequens ille est, quò purum pro sancto usurpatur, puritas pro sanctitate, purificatio pro sanctificatione. Quæ acceptio non modò ex significatione oppositi roboratur: Si enim *τὸ ἴμῳ* impurum eum denotat, qui, fugatâ omni vitæ sanctimoniâ, in celeribus vitiisq; nefandis deditus ac peccatis contaminatus est, utiq; is purus erit, qui ab his vitiis alienus, adeoq; sanctus est; Sed & passim in Scripturis obvia est (v). Hinc & sanguis Christi, quò salvi sanctiq; reddimur, dicitur *καθαρίσεν* I. Joh. I. 7. Atq; hoc modo etiam h. l. accipimus. Spiritus S. ergo purus sive sanctus nuncupatur ob essentiam, quam habet purissimam & sanctissimam. Unde sanctus, imò ipsa appellatur Sanctitas, pariter ut Pater Joh. XVII. 11. & Filius Act. IV. 27, 30. propter *ὁμοιοτάτην* perfectissimam, quæ est inter omnes Deitatis personas. Quò modò nec Angeli nec homines ulli sancti dici possunt, quippe illis hoc encomium competit per creationis, his per adoptionis gratiam, solis autem personis divinis propter essentiam. Peculiari autem ratione hoc Flumen purum dicitur propter vim illam *καθαρῶν*, quâ puros homines & sanctos, voluptatesq; eò ipsò in iis non mundanas, quas immundas rectè dixeris, sed puras efficit atq; coelestes. Equidem & hoc sanctificationis opus Patri & F. competit, at verò terminativè & appropriativè, uti Patri v. g. Creatio, & Filio Redemptio, sic & Spiritui S. hæc purificatio tribuitur. Unde & specialiter Sanctus dicitur. Purificat autem ac latificat affluxu suo & militantem & triumphantem Jerosolyman: At illam tantum guttatim ac inchoativè. Hinc etiam fit, ut, cum homines in militante Ecclesia non inveniatur ab omnibus foetidis peccatorum reliquiis liberos Hebr. XII. 1, Flumen hoc aliàs purissimè affluens, turbetur squalidissimis hinc inde ebullientibus labis originalis sordibus, spiritualisq; lætitia inopinato

F. 3;

non-

* *in Com. in b. l. p. 436. v) Ravanell. l. c. f. 404. 405. & Flacius l. c. f. 1012. & 1013.*

nonnunquam misceatur tristitiæ interventu. Non hoc metuendum in triumfanti Ecclesia, ubi non modò eradicatâ omni adhuc reliquâ peccandi materie, procul facessent lachrymæ, dolor, luctus Apoc. VII. 17. c. XXI. 4. omneq; quod inquinat aut abominationem facit ac mendacium Apoc. XXI. 27. XXII. 3; sed & Flumen nostrum Crystallinum ποταμὸν ἀσφύδου affluendo, quod in militante Ecclesiâ coeperat, consummabit, undisq; semper beatos irrigabit purissimis, ut sanctitate & puritate coruscantes ineffabili, gaudio, quod Flumen ubiq; diffundet, perfruantur purissimò.

§. II. Nec minor celebritas Fluvio nostro oritur *ὄμιον τῆς ὕδατος ζωνῆς*. Vox aquæ varia significat, quorum prolixâ recensione nunc supersedebimus (D). Spiritui S, tributa gratiam ejus sanctificam, quâ, per & propter meritum Christi fide apprehensum, reconciliationem cum Patre, misericordiam ejus ac charitatem offert ac promittit. Comparatur v. aquæ, quod largiter effundatur Joël. 2. 28. &c. nosq; mundet, refrigeret, cum DEO conglutinet, sitimq; extingvat &c. (γ). Quò de jam supra Attic. 2. cap. 2 §. 3. Additur huic aquæ Genitivus ζωνῆς pro participiò ζώντος, quod aliàs Joh. 10. II. cap. VII. 38. usurpatum reperitur, non per Hebraismum, uti Piscator (ψ) aliq; autumant, sed, quòd idem sæpius etiâ usu veniat Græcis. Hinc distingue inter Hebraismos & inter phrasas ac modos loquendi Græcis ac Hebrais communes. Ad posteriorem nostram referimus locutionem, quæ in non statim propterea, quòd Hebraei eòdem modò loquantur, ab hisce mutuata dicenda est. Coeterùm & hanc vocem esse πολὺσμιον, ex suprâ citatis Ravan., (ω), Glass. (α) Flac. (β), aliisq; liquet. Id tantum observes, quòd aquæ vivæ s. viventes dicantur (γ) vel ratione fontium l. ratione effectus. Illò modò denotantur aquæ indeficientes, quas fontes emittunt perpetuò scaturientes. Sic Gen. 26, 19. servi Isaaci leguntur invenisse fontem *עַיִן חַיָּה* aquarum vivarum h. e. nunquam deficientium, quibus opponitur aqua quieta, stagnans & q. mortua. Effectivè aquæ vivæ dicuntur, quòd fecunditatem

(D) Ravanell. Part. 1. Bibl. in voce aquæ f. 126 Flacius in Clav. Script. Part. I. fol. 48. seqq. Glassius Rhet. S. Tr. I. cap. X. p. 254. seqq. Schindl. in Lexico Pentaglotto f. 995. (γ) vid. Christoph. Pelargus Comm. in Job. c. IV. p. 46. (ψ) Comm. in N. T. in Scholiis ad Apoc. XXI. 6. c. XXII. 1. (ω) part. 2. Biblioth. f. 854. seq. α) Rhet. S. p. 25. & 352. β) part. I. Clav. f. 1322. γ) vid. Schindl. in Lex. Pentagl. f. 995. & Gomar. in Joh. 4. Part. I. Opp. f. 287.

tem terræ, vitam ac sanitatem hominibus conferant, quales aquæ vivæ,
 teste Sozomeno (d) in fonte penes Emaus. Nicopolim & in therinis pas-
 sim. Pari ratione aqua vitæ, quam nolter fundit fluvius, hujus arguit
 I. perennitatem, nunquam n. exsiccabitur. In hac equidem vitâ afflu-
 entia Spiritus S. gratiosa nonnunquam impeditur, præsertim ab impiis
 & πρὸς καίρις, undaq; vitæ planè perit (ε), non quod Fluvius desinat,
 sed quod evomat ab hominum malitiâ. At in futurâ patriâ sine ullis
 remoris per innumerabiles seculorû myriadas fluvius aquæ vitæ affluet
 quoq; aquis suis. II. Coelites vivificans. Nectare beatas animas potari cœca
 atq; anilis gentiliû finxit superstitio, ut illæ immortalitatem nancisce-
 rentur. Sed mittimus fabulas. Flumen nostrum, quod ipsa Vita est,
 Rom. VIII. 10. verè beatos potat, vitamq; in iis per inhabitationem suam
 substantialem operatur immortalem, h. e. omnium voluptatum, relectio-
 num, suavitatû ac consolationum cœlestiû copiam, quibus anhelî refri-
 gerabuntur ac tanquã flumine sitientes inebriabuntur Ps. 36, 9. At quæras:
 Sitientæ beati ac bibent olim, cum Christus expresse, qui in hoc mundo
 aquam vitæ biberit, eum in æternum siti cariturum, pronunciet. Joh. IV.
 14. Resp. (ζ) Et non sitient, & sitient ac bibent, suô tamen modo, Sirach.
 XXIV. 29. non sitient corporaliter; (*) ut damnati in stagnô sulphureo,
 nec sitient ac appetent voluptates alias terrenas &c. sitient tñ. ac deside-
 rabunt sapientiam, delicias, epulas ac voluptates cœlestes, quas plenis be-
 ati ingurgitabunt faucibus. Hinc est, quod Christus vitam æternam con-
 vivis, nuptiis ac coenis passim comparet. Apoc. II. 7. c. XIX. 8. Matt. XXV.
 23. Luc. c. XIV. 16. c. XXII. 29. conf. c. XXIII. 43. conf. Ezech. XXIX.

S. III. Deniq; laudatur Fluvii hujus *ἄλιον πρὸς ἕως*, quæ est *ὡς νεύ-
 σαλλος*. Naturam crystalli fufius h. l. describere haud vacat. Adeat,
 qui volet, Anselmum Boëtium (η), hæc de re differentem, nec non Sca-
 ligerum (θ) aliosq;. Denotatur v. hoc ipsô Fluvii nostri splendor ac pel-
 luciditas. Splendidus est Fluvius, qui ob summum splendorem igneus
 dicitur Dan, VII. 9. 10. imò est ignis Act. II. 3. Malach. III. 2. & *ὡς αἶ-
 ως ἁγίου* I. Tim. VI. v. 16. *ὡς φωτίζου* cœlestem Jerosolymam Apoc.
 XXII.

d) Hist. Eccles. lib. 5. c. 20. ε) Job. Maldonat. Comm. in 4. Evangelistas
 in Job. IV. f. 1377. ζ) vid. Pelargus Comm. in Johannem c. IV. p. 47.
 Paulus Tarnov. Comm. in Job. IV. p. 389. Maldonatus in Job. IV. f. 1377.
 it. Jansenius in b. l. f. 475. D. col. 2. *) Augustin. Tr. 15. in Johann. η) de
 gemmis lib. 2. c. 73. seqq. ap. Dorsch. Tb. Zach. part. II. p. 220. θ) Exerc. 119. S. 16.

XXII. 5. Est flumen quoque pellucidum. Per hoc nō bona cōlestia; imō DEum ipsum, lippitudini nostræ sine hujus Crystalli in ejectione invisibile, contemplamur. Atque, ut vitrum Crystallinum interius asservata refert exterius, sic Spiritus S. quicquid in se continet sapientiæ, lætitiæ &c. ostendet Beatis, quin & cum iisdem communicabit. Hinc & effundet undas crystallinas, ut effulgeant Beati Solis ad instar. Dan. XII. 3. & gaudia, quibus omnes eorum sensus ac membra extultabunt⁽¹⁾, capiant non modò purissima, quò de jam §. 1. hujus Cap. dictum, sed & plene atque probè tō per Crystallum cognita atque perspecta. In hac equidem rerū vanitate gaudemus aliquando, rationē veri gaudii l. planè non, l. haud secus ac in ænigmate perspicientes: Annon ita olim, ubi ipsum fundum gaudiorum oculis glorificatis introspicentes, in lumine Dei videbimus lumen ipsum Ps. XXXVI. 10. I. Job. III. 21.

SECTIO II. Porismatica.

Porisma I. *Datur in divinis personarum Trinitas.*

Nimiùm cancelli Disputationis ampliandi forent, si omnia, quæ dici possent, dicere vellemus. Sed, brevitate studiosi, paucula hæc notamus. I. non hic quæri de voce Trinitatis (quam tamen etiam, ut sit ἀρεσφ, non rejiciendam esse, contra Arianos (κ), Steph. Curcellæum (λ), aliosque, cum B. Luthero, quicquid etiam Bellarminus^(*) per calumniam eidem affingat, statuimus), sed de re ipsâ. Intelligimus v. II. per Trinitatem tres Deitatis personas, realiter ab invicem diversas, unâ tñ. eâdemque essentiâ divinâ gaudentes. Hanc v. III. unam essentiam in divinis non partibilem fingas oportet, quæ partem ejusdem haberet Pater, partem Filius &c., sed unam ac totam in Patre, unam ac totam in Filio, unam ac totam in Sp. S. credas &c. Probamus assertum ex totius Deitatis revelatione in nostrò Textu, ubi trium tantum (non pauciorum aut plurium) mentio fit, DEi Patris scilicet & DEi Filii in throno & Spiritus S. seu Fluminis procedentis à throno. Consonant cum his & aliæ θεοφάσεις, utpote in Baptismo Christi Matth. III. 16, 17. Marc. I. v. 10, 11. Luc. III. 21, 22. Joh. I. 32. &c. conf. Matth. XXIX.

Errant itaque (α) in defectu cum Judæis & Mahumedanis, quotquot unam tantum in divinis personam comminiscuntur, quæ distingvatur tribus nomenclaturis (quod de Sabellio Epiphanius (μ) refert) s. nominibus

¹⁾ Bellarm. de felic. eternâ l. 4. c. 2. seq. ^{κ)} Athanas. Orat. 2. contra Arianos. ^{λ)} Prefat. in Opp. Episcopii. ^{*} in prefat. Lib. de Christo. ^{μ)} heresi 68.

minibus, ita, ut hoc respectu pater, illò Filius, aliò Sp. S. appelletur. Suntq; Noëtiani, Praxeani, Sabelliani, Paulianistæ s. Samosatreniani, Messaliani, Priscillianistæ & asleclæ, Mich. Servet9, qui superiori seculo, teste Schlüsselburgiò (v), unam in divinitate personam, diversimodè v. sese manifestantem, erroneè docuit. it. illi, qui Deum Patrem tantum esse DEum dicentes, Filii Deitatem, Spiritus S. Deitatem & personalitatem inficias ierunt, ut Cerinthiani, Marcelliani, Sociniani, quibus addendus Steph. Curcellæus (ξ), falsò probare contendens, ante Arium & Sabellium Patres etiam Deitatem Filii & personalitatem Sp. S. negasse. it. qui duas tantum in divinis personas crediderunt, quod Campanus asseruisse vulgò fertur. (b) in Excessu, qui quaternionem quandam fabulantur, ut ex Veteribus Marcion ac Tetratheitæ, ex recentioribus Pontificiorum nonnulli, qui, præter tres subsistentias relativas ac personales, adhuc quartam, quæ absoluta sit, ac se admodum semi-suppositi & semi-personæ habeat, constituunt. Quos apud B. D. Dorscheum citatos pariter ac refutatos leges (o).

Porisma II. *Inter personas divinas datur perfectissima equalitas.*

Id in antecessum notasse haud abs re erit, distinguendum esse inter ordinem originis & inter majoritatem. Illum in divinis concedimus, qui tamen non infert majoritatem. Ordo enim esse potest inter paris dignitatis ac excellentiæ personas, ut vel in humanis patet. Jam roborat Θεω sequens ex Textu argumentū: Quæ ad unum illum infinitum Majestatis thronum θεοδοῶς pertinent, h. e. gloriam unam, eandemque infinitam essentialiter habent, inter eos nulla datur inæqualitas. Atqui P. F. & Sp. S. Ergò. Major luce suâ radiat: Si enim inæquales forent gloriâ, non in eodem uno infinito throno manifestati fuissent. Hinc rectè Oecumenius ex Chryfost. Ebr. I. *Locum confesûs s. solii divini equalitatem honoris*, ait. Minor ex suprâ dictis claret. Idem etiam perfectissima, quæ inter personas divinas datur, demonstrat ὁμοξία. Facessant itaque præter eos, quos Porismate præced. in defectu peccasse vidimus, Calviniani, Arminiani atque Scholastici, qui prærogativam quandam Patri præ Filio atq; Sp. S. attribuunt, quos, ne cramben bis coctam apponamus, suprâ (π) profligatos vide.

G

Porisma

v) *Cat. Her. l. XI. p. 2 seq. ξ) l. 2. Inst. Relig. Christ c. 22. o) in Interv. pro myst. Trin. c. 3. & in AntiCornæo p. 74. π) Sect. I. c. 2. S. 14. 15. conf. Magn D. Calov. Syst. Th. T. III. p. 181. & p. 208. seq. B. D. Dorsch. in Interv. c. 2. & AntiCorn. c. 2.*

Porisma III. *Spiritus S. procedit à Patre Filioq.*

Sumimus I. Vocabulum Processionis hic strictè pro emanatione præcisè tertiæ personæ à cæteris, quò de jam ante. Non tamen II. de modo processionis h. l. quæritur nobis, quam capere haud valet humana ratio, sed tantum de re ipsâ. Spiritum S. autem III. à secundâ quoq; personâ procedere dicimus, non secundum utramq; Naturam (e), sed tantum divinam. Humana n. utut per gratiam potestatem mittendi Spiritum communicatam acceperit, non tñ. ab æternò fuit, nec inde Spiritus S. procedere potuit. Cæterum confirmamus Porisma ita ex Textu: Quic. à thronò P. & F., ille etiam ab ipsò P. & F. procedit. At Spiritus S. à thronò & c. Ergò. Major in apriçò est, cum thronus Patris sit ipse Pater, thronus Filii ipse Filius. Minorem Exegeſis, hæctenus tradita, dilucidavit. Idem evincitur ex iis Scripturæ locis, in quibus à P & F. missus legitur, Joh. XV. 26. & c. At nullâ personâ indivinis ab alterâ mittitur, nisi ab eadem habeat originem. Lapsa g. (quod dolendum) Ecclesia Orientalis graviter, Spiritum S. tantum à Patre per Filium, non à Filio procedere (nescio quò impulsore) statuens. Error natalis debet Theodoreto, Cyri Episcopo, qui adhuc juvenis ac Nestorianis favens seculo V. contra Cyrillum Alexandrinum, cui erat infensissimus, primus hunc profeminavit. Sed asseclas vix reperit multos usq; ad tempora seculi fermè X. ubi, accedente simul controversiâ de Primatu Papæ, apertum emanatum Schisma, atq; vinculum Concordiæ inter Ecclesiam Orientalem & Occidentalem ruptum est. Mèdèri vulneri huic allaborarunt Concilia, sed vix incrustatum recruduit, ut ex Actis Patriarchæ Constantinopolitani, Jeremiæ, ad Ecclesias Würtembergicas patet. Urgebant (1) Græci contra Latinos, nullâ extare hujus processionis Spiritus S. à Filio in Scripturis mentionem, sed falsò, ut hæctenus constitit. (2) constitui duo principia Spiritus. Sed contrarium patet ex Sectionis I. cap. 2. §. XIIX. (3) Latinos corrupisse Symbolum Nicenum additione vocis FILIOQVE. Qui tñ. rectè respondebant, dist. inter falsationem & expositionem, hanc, non illam concedentes. Plura non capit pagellarum angustia. Hinc remittimus B. Lectorem ad Summè Rever. atq; Magnif. D. D. Præsidentem (σ), Svarerzium (τ), Petavium (υ) aliosq;. Nunc genibus coram Throno provoluti gratias pro concessis viribus agimus decentes easq; immortales.

SS.. TRIADI..

e) Kromayer *Comm. in Apoc. p. 580. σ*) in peculiari *Dissertatione de processione Sp. S.* τ) in *l. Thome. Tr. 3. l. X. c. 11. υ*) *Tom. 2. Dogm. Theol. l. 7.*

Quæ fors Ecclesiæ fuerit, casusq; sinistri
Immineant, & adhuc tristia fata premant:
Nec minus in cœlis quæ gaudia mille parata,
Ille sacer Vates vidit, & ore refert.
Sed quia sub verbis mysteria magna notantur,
Hæc mihi qui poterit dicere, magnus erit.
Tu quoq; tantum opus aggredieris, Clarissime KÖNIG,
Quis thronus, & quis fons, quæque perennis aqua,
Rite doces, nobis mysteria tanta recludens,
Differis, hinc meritò tu quoque magnus eris.

CL. Dni. Respondenti & Disputationis Auctori gratul. scrib.

JOHANNES MEISNERUS, D. h. t. Acad. Rector.

CLARISS. DN. KÖNINGIO, DANTISCANO,
DE FLUVIO CRYSTALLINO DISPUTANTI,
AMICO DILECTO.

Nomine ceu REGIS clares, de REGE SIONIS
Procedat FLUVIUS CRYSTALLINUS ut, benè clarus,
Cœlesti è Solio, cives qui maectat, alitq;
Sedibus in Summis, cum differis ordine pulcro,
Egregieq; doces. Grator, sint præmia pulcra,
Comprecor, & fundat per TE quoq; flumen ab alto
Dona, gregemq; suum recreet, GEDANI orbe vigentem:
Quando Tui studii pertexes ordine telam,
Id mi KÖNINGI, voveo; DEUS annue votis!

SVVITEBERGÆ

ABRAHAM CALOVIUS, D. P. P. PRIMARIUS,
& SUPERINT. GENERAL.

Sancta subit mentem meditatio, *Fautor Amandæ,*
Quæ promissa ferat crystalli nobile flumen,
Ejus divitias lætò cognoscere vultus,
Delitiisq; frui concedat Numen utriq;!

JOHANNES ANDR. QVENSTEDT, D.

Regia, crede mihi, meditari regia, res est,
Cœlica sed longe majus amare Tibi.
Cœlica tantisper superant mihi Regia cuncta,
Quàm procul à terris distat ubiq; *Polus.*
Regia sunt hominum, sed cœlica rite feruntur
Esse DEi, & Regum est & manet usq; *DEUS.*
Nomine Gentili Rex diceris, OPTIME KÖNIG,
cœlius ast animus cœlica sola sapit.
Hinc Tibi præ cunctis placet hic *CrySTALLINUS amnis,*
Qui coram Domini flammâ in Arce throno.
O ter felices, *fluvius CrySTALLINUS olim,*
Quis fluet in cœlis, his datur Ipse DEUS!

Pergite

Pergito, KÖNIGI, Cælestia commentari,
Cælicus in terris REX eris inq; polo !

JOHANNES Deutschmann/D.

Flamen in Flumine !


FLamen in aurifluo. meditaris flumine, AMICE,
Crystalla in mediis ignibus esse vides.
Res miranda ! novas flammis ardere liquores,
Duraq; profusis vitra liquere vadis.
Scilicet est miri res hæc miranda Tonantis,
Æternus miro Spiritus amne latet.
Hæc Tibi sunt curæ : solertis acumina mentis
Ut tentes vires, ardua quæq; legis.
Dulce DEO GEDANUM vultu Tua cœpta benigno
Adspiciet, studiis præmia digna ferens.
Flumen at æternum, divini fomes amoris,
Quod fluit aurato gurgite sede DEI,
Hoc ut doctrinâ & pietate propellat onustam,
Ad portum Navim, Nostra Thalia vovet !

*Pauca hæc in perpetua affectionis ac memoria documentum. EL. DN. AU-
CTORI RESPONDENTI, Amico æstimatissimo, prosperrima quæq;
ipsi totâ animi mente apprecati, apponere voluerunt, debuerunt
Summè Reverendi ac Magnifici DN. D. MEISNERI
COMMENSALES.*

Weil Flora sich beblümt / und weil Mercur wil glänzen
In manchem Pleiß. Gewölb durch theurer Waaren Pracht /
Weil der Najaden Chor im klaren Flusse lacht
Soll Hochgeschäfter Freund / man JHM noch mehr befränken /
Als Rom die Brünnen pflag / weil ER Fluß / Meß und Lenken
In Wittenberg vereint. ER hat ja stets getrache
Nach Blumen / derer Ruch JHM angenehm gemacht
Am edlen Reichsel. Strom / und auch in frembden Grenzen :
ER prangt mit Weißheit Waar / die Demant übergleißt /
Und führe uns hin zum Fluß / der gleich Crystallen fleußt.
Glück zu ! es muß JHM stets nach Herzens Wunsche fließen !
Was das bepupert Haupt / der grosse Sions Rath
MEISNERUS JHM gewündschet / dz wündschet auch unser Vlat.
Doch ach ! der werthe Freund wird ikund uns entrissen.

Dieses setzten ihren Ruhm-würdtasten Herrn Landsmann
zu Bezeugung gestiffener Liebes Dienst / und bestän-
diger Freundschaft Die daselbst Studierende

DANZIGER.




Umg. VI 19

ULB Halle

3

003 144 232



TA-OL
SR. 124: AMN: 00

VD 17 Z



